



20290. V. 5. g.









101

CALENDARIUM  
MARIANUM,

E VICTORIS

Contra Gentiles, Turcas,  
Hæreticos, & alios in justi belli

*Authores,*

OPE SS. DEI GENITRI-  
CIS OBTENTIS,

*In singulos Anni dies ad piè recolendum  
digestis, concinnatum, ,*

*Per*

R. P. GABRIELEM HE-  
VENESI è SOC. JESU,

*Ac*

D. D. SODALIBUS

Sub Titulo in Cœlos assumptæ

DEIPARÆ,

*In Archi-Ducali Societatis JESU Collegio  
Labaci Congregatis in Xenium oblatum  
Anno M. D. CC. XIX.*

CALENDARIUM  
MARIANUM  
E VICTORIAE



OPUS 22. LIBRARY

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF KING'S COLLEGE LONDON

R. B. GABRIELLE HENRY  
AENESI & SOCI. LOND.

D. D. SODALITIUS


SUP LIBRIS IN CLOVIS LIBRARIES

DEIPARAE

IN AUREO - DUCATIS DECIMI M. ECLSI. CLIVIS

LXXXVII. DEPOTI GALLICANTI IN TERRAM ORIENTALI

ANNO M. DCC. LXIX.  
646838979  
030030030



# VICTORIÆ MARIANÆ, CONTRA GENTILES.

## JANUARIUS.

I. **P**letati Marianæ facem cœca Gentilitas præferat. Ante salutem natam, MARIA saluti Argo-nautis fuit : construētō námque Jason Athenis templō, monitus est ab oraculo, Virgini quondam (cui nomen Maria futurum esset) templum illud aliquando dedicandum : cujus invocatione præclaram Argo-nautæ victoriam retulerunt. *Metaph. in vit. S. Procop.* Primum nautis beneficium M A R I A contulit, ut eam felicitatis nostræ portum esse disceremus.

S. MARIA Auxiliatrix Christianorum, contere vires Paganorum; omnibus te invocantibus, glorioſas contra hostes victorias apud Patrem per Filium impetra: & post consummatam feliciter vitæ nostræ militiam immarcescibiles fac nos in cœlis capessere coronas.

Nota: *Hæc clausula quotidie repetitur,*

2. Æternam Nominis gloriam, ut diutiùs permaneret, lapidibus confidit Constantinus, dum Urbem Byzantium, ab eo Constantinopolim dictam, extruxit: quæ ut firmitor staret, eam solenni ritu B. V. dicari voluit. *Anno 33. Niceph. lib. 8, cap. 26.* Aptum sanè consilium, sub hujus namque Virginis tutela, contra Avares, aliósque oppugnantes toties triumphavit, nunquam Turcicum subitura jugum, nisi MARIÆ amorem excussisset, S. Maria, &c. *ut supra.*

3. Pluribus insolentes victoriis, ipsaque belli fortunâ efferatores Gotthos compescere Narses Justiniani Imp. militum duxtor desperâset, nisi in ea spem posuisset Virgine, quæ nullum confundit. MARIAE itaque iconem exercitui præferri jubet, quâ adeò feliciter hostes cœdit, ut uno præliô & Gotthos fuderit, & Italiam ab eorum tyrannie liberaverit. *Joann. Nieremb. in tropb. Marian. lib. 1. cap. 9.* In te Domina sperans, non confundetur in æternum. S. Maria, &c. Pag. 2.

4. Est inter celebriores Indiarum Occidentalium insulas, quas Oceanus iis in oris circumdat, cui Cubæ nomen dedere inquilini. Hujus Regulus multas adversus finitimos populos victorias referebat, nec unde tanta armorum esset felicitas, sciebat, donec intellexit exercitus sui Ducem (Christianus is erat) imagine B. V. pectori affixâ munitum in

hostes procedere. *Bosius de sign. Eccles. lib. 9. cap. 10.* Cor præbe MARIAE nec ullus tibi nocebit inimicus S. Maria, &c. *Pag. 2.*

5. Heraclius imperfecto Phocâ, quod Remp. ignaviâ suâ Persis de populandam permitteret, Imperium capeſſivit, cuius gubernacula ut felicius moderaretur, à Stephano Metropolita Cyziceno imaginem gloriosæ DEI-parentis, muneris loco accepit Anno 610. quâ in omni contra Barbaros expeditione ita uſus est, ut nunquam victus redierit *Niceph. lib. 18. cap. 20.* Quem Regi na cœli præcedit ad prælium, is via Regiâ procedit ad victoriam. S. Maria, &c. *Pag. 2.*

6. Idem Imperii sui anno decimo, collectâ armatorū multitudine adversùs Cosrhoëm movit, & confederatorum loco solam B. V. iconem, non humanâ elaboratam ope, sed Divinô miraculô pictam secum de-

detulit, cuius ope victor contra hostes triumphavit. *Matthæus Westmoniat. Anno 620.* Cum una pro mille sacram fœdus sufficit MARIA. S. Maria, &c. *Pag. 2.*

7. Non diu licuit Heraclio post hoc prælium esse quieto, Cosrhoës quippe viribus nuper accisis, intra quadriennium restauratis, iterum æmulum belli Heraclium provocavit, hic pari, ac aliàs bellandi generre, nempe B. V. opitulantis auxiliō confisus, provocanti obviat, & Gazacroën civitatem obsidentem quà fugat, quà cædit. *Idem Matthæus.* Adeò ad omnia utilis est filialis in MARIAM pietas & confidentia. S. Maria, &c. *Pag. 2.*

8. Pulsum ab obsidione dicta Cosrhoëm, & præ hostium insequentium metu se Thebis includentem persequitur Heraclius, ac urbem obsidet: cuius expugnatio cùm feso jam militi difficilis admodum vi-

deretur, ad solitum suum confugit asylum, MARIAM invocat, quæ eos militi cum viribus animos indidit, ut periculo omni contempto, eousque oppugnandæ arci insudaverit, donec feliciter eâ potitus triumpharet.  
*Id. ad An. 624.* Facile namque & laetus vincit, pro quo cœlum DEI (a) Maria militat. S. Maria, &c. Pag. 2.

9. Ingentem Barbarorum manum Sarbarâ Duce coactam ad Constantinopolis obsidionem expedivit. Cosrhoës Persarum Tyrannus, simûlque alterum ex Persis exercitum conflat, qui Heraclii vires in campo distraheret. Duplii ergo Heraclius circumventus periculo, in una spem Virgine Beatissimâ ponit, ac eâ contra obsidentes felicitate se defendit, ut Patronam suam naëtus sit Urbis protectricem, quâ visibili formâ comparente, hostes sunt depulsi. *Theophanes in annal. Græc.* Si Mater DEI

(a) Ruper. l. 5. in cant.

DEI pro nobis, quis contra nos?  
S. Maria, &c. *Pag. 2.*

10. Dum à Constantinopoleos mœnibus hostem arcet Heraclius, eodem tempore alterum Cosrhois exercitum vi planè supernâ domuit, dum namque ferrô causam decisurus utrinque concurreret exercitus, inusitatæ magnitudinis granidine ita barbarus attritus est miles, ut duobus hostibus impar, ultrò victori palmam cesserit. *Baron. ad ann. 625.* Illorum commodis & cœlum, & clementa serviunt, qui MARIÆ serviunt. S. Maria, &c. *Pag. 2.*

11. Castigata sæpiùs, non tamen domita Cosrhois barbaries, novam spirabat vindictam, & sæpiùs cum dolore desertam Constantinopolim audet oppugnare: exhaustâ longiori bellorum tempestate annonâ, non parvum civitati minitabatur exitium, nisi timori modum Patriarcha posuisset; Virginis namque

Sacratissimæ iconem pluribus notam miraculis per mœnia circumfert ; & oppugnantium animos is pavor invasit, ut expugnatione desperatâ fugam capeſſiverint. *Cedrenus ad ann. 626.* Nunquam ad se confugientes MARIA deserit. S. Maria, &c. Pag. 2.

12. Iterum propitiam Virginis dexteram expertus est devotissimus MARIÆ cliens Heraclius Imperator : nam hyemis tempore Persidem ingressus , eo Razatim Persam animo, post dicatum Divæ Virgini exercitum, est aggressus, ut vix 50. suorum desideratis, multa barbarorum millia ferro immolaverit, ipsūmque hostilis exercitūs Ducem suā manu decollaverit. *Paul. Diac. l. 18.* Ita bella perficit, qui ea orditur à pietate Mariana. S. Maria, &c. Pag 2.

13. Anno 625. Avares, Thraces Constantinopolim terrâ , marique sic preſſerunt, ut ab expugnatione parūm abeſſet. Sed potentissima  
cœli

cœli Imperatrix assiduis precibus invocata rebus afflictis adfuit, ut copiæ terrestres hostium, plurimis amissis fugerent; & simul Classis in Euxino tempestate mergeretur. *Cedren. in compend.* M A R I A M invoca, & quod petis, impetrabis. S. Maria, &c. Pag. 2.

14. Urbs eadem An. 717. hostium obsidione vallata, nec in milite, nec in multitudine sperare poterat. Ad eam ergo confugit salutem quæsitura, quæ publicam Orbi salutem peperit; ejus imago per Urbis mœnia circumlata, cā lapidibus vim indidit, ut hostibus omnibus superiores facti, priùs eos lassaverint, quàm eorum furori cesserint. *Ex Epistola S. Gregor. ad German. Constantinop. Patr.* Nisi Domina custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. S. Maria, &c. Pag. 2.

15. Ægyptus & Africa desciverant ab Imperio, quin & Carthagi-

nem expugnatam in sua Barbari iura compulerant ; iisdem, quibus haec tenus vincere consuevit , DEI , ac Matris ejus auspiciis feliciter in hostes movit Heraclius , & vicit felicissime , ac Regna in suam reduxit potestatem. *Vid. Paul. Diac.* Nihil perit, quod MARIÆ custodiæ confiditur. S. Maria, &c. Pag. 2.

16. Mira MARIÆ dignatio, nec Barbaros invocata despicit : quæ contra Barbaros haec tenus victoriam, nunc pro Barbaris dedit. Copiosi sunt Authores, qui testantur Persas DEI Genitricis auspicio victoriam consecutos esse, quod ejus nomine pro symbolo militari usi fuissent. *Henric. Spondan. ad an. 591.* Cavete Christiani, ne filii tenebrarum prudentiores sint filiis lucis. S. Maria, &c. Pag. 2.

17. Carnutum Anno 900. obsidione cinctum, Christianis pariter, ac Barbaris utrinque cadentibus.

non

non parvum libertatis periculum subiverat, cum Gwaltelmus Episcopus sacris vestibus indutus, tunicam B. V. (quam magnâ populus devotione colere solebat) accipit, Cives ad audendum fortia hortatus, & in hostes primus fertur: in usitatâ hâc pugnandi ratione territi obsidentes, præcipitem in fugam effusi, periculo Urbem exemerunt. *Dudo lib. 2. de morib. Nortman.* Ita sua vel in veste honorata assistit MARIA. S. Maria, &c. Pag. 2.

18. Annua sub titulo recollecti-  
onis festorum B. V. celebritas Lo-  
vanii colitur, in memoriam pugnæ  
contra Nortmannos ab Imperatore  
Arnulpho Anno 891. feliciter aëtæ:  
irridebant primò Barbari Christia-  
nos ad bellum prodire ausos, sed  
sanguine arrogantiam eluerunt; o-  
pe namque B. V. imploratâ dissipa-  
ti, ac ad internacionē deleti sunt.  
Centena eorum millia eo bello ceci-  
disse

disse fama fuit. *Reginopr. Abb. lib. 2. Chron.* Similem vultis Christiani victoriam? MARIAM petenti dabitur. S. Maria, &c. Pag. 2.

19. Scythæ vastatis compluribus mirâ feritate bello uno Provinciis An. 955. etiam Augustam Vindelicorum terruerunt; & quia tantæ hominum ferociæ impares se agnoscabant, S. Udalrici Urbis Episcopi hortatu SS. DEI Genitricis clementiam, pro Civium salute studiosissimè comunitas tota pavimentô prostrata supplicavit, ac etiam impetravit: nam solutâ obsidione, pristinæ restituta libertati, eam se B. V. debere, libenter agnoscebat. *Baron. tom. 10. Ann.* Misericordiæ Mater non esset, nisi tam promptè miseriis subveniret MARIA. S. Maria, &c. Pag. 2.

20. Obsidione Augustanæ Urbis solutâ, cùm terrore latè omnia complerent Scythæ, post invocatum  
DEI,

DEI, per B. V. intercessionem auxilium, in eos fertur Otho I. hujus nominis imperator: ac immensam illorum hominum multitudinem in angustias redactam ita cædit, ut (quæ authoribus fides est probatis) vix sex, septémve incolumes evaferint. *Frisinus Viterbiens. & Berno Abb. Augiens.* Raræ nunc tantæ victoriæ, quia rara est tanta in MARIAM pietas. S. Maria, &c. Pag. 2.

21. Alphonsus Tertius adversùs Arabas bellum gerens, memorandam de iis victoriam est consecutus Anno salutis 906. Duce ipso hostium Antesignanò Alcamnâ, à suis, ut Propheta culto, eo in prælio occisò; quam felicitatem pietate, quâ erga B. V. ferebatur planè filiali, meruisse Alphonsum testis est *Tamaius in Tri. Mar. hoc an.* Quid non possit Mater Omnipotentis? S. Maria, &c. Pag. 2.

22. Diu belli alea Joannem Zimisches inter ac Scythas jacta hærebat anceps, Victoriâ in neutram partem inclinante : donec Romano-rum exercitus Divinâ vi adjutus, equitem in nubibus pro se pugnantem accepit, Barbari verò procellâ repente exortâ repulsi, campum cum herba cesserunt. Eques verò ille S. Theodorus, à B. V. clienti suo in subsidium missus fuisse credebatur. *Baron. ad ann. 971. 8. Junii.* Nunquam eorum obliviscitur MARIA, qui eam cordi habent. S. Maria, &c. *Pag. 2.*

23. Ardens primæ Christianitatis in B. V. pietas, & fiducia, solicitam pariter Virginis intemeratæ curam est promerita : nam in unica Urbe Roma cæcâ gentilitate proscriptâ, super tria templorum millia veri Numinis cultui dicavit, inter quæ quadringenta Mariano cultui cesserunt, ut ei exterminatam ex Urbe gentilita-

litatem se in acceptis ferre grata ostenderet. *Andr. Fulv. in antiquit. Urb.* Si marmoreum MARIÆ templum paupertas dedicare vetat, præbe ei cor tuum; & magnificum Virginis templum condisti, S. Maria, &c. *Pag. 2.*

24. Cumani rebelles barbari, ingentibus copiis S. Stephanum Apostolici Ungariæ Regni Regem primum adoriuntur. In hoc novellæ Christianitatis periculo primo Divo Regi fuit cura, ut precibus MARIAM belli sociam invocaret; inde cum suis in Ethnicos ineuctus, gloriose pulsis hostibus triumphavit. *Bonf. Rer. Ungar. dec. 2. lib. 10.* Tamdiu vincebant Ungari, quamdiu cum M A R I A pugnabant. Sancta Maria, &c. *Pag. 2.*

25. Mariano infensus honori Nisirus Arabs Cretensium Classis Praefectus, diruto in Insula Paro Virginis templo, lapidem secum abstulit, suis

suis eum idolis oblatus : sed in lapidem se impegnisse didicit, cùm n tempestate Divinitus immissâ jactatus, cum suis periit. *Metaphr. in vita S. Theodifistæ.* Nemo Matrem DEI impunè laceſſit. Sancta Maria, &c. *Pag. 2.*

26. A Barbaris Thraciam invadentibus bello sollicitatus Joannes Comnenus Constantinopolitanus Imperator, deficientibus humanis auxiliis, Marianum Cæsar cum lacrymis deprecatur, jámque animosior in campum venit, vidit, vicit, non tamen triumphavit. Triumphi quippe honorem ei detulit, à qua se pugnæ successum accepisse agnoscebat, dum B. V. imaginem magnifico impositam currui circumferri jussit, pedes ipse Dominam cliens secutus, Anno 1123. *Baron. ex Nicæta Choniate in Annal.* Toties triumphat MARIA, quoties humanis subvenit necessitatibus. S. Maria, &c. *Pag. 2.*

27. Emmanuel Comnenus Joannis inhæsurus vestigiis, cum Scythis pugnaturus ad DEIparam confugit, quam insuperabilem belli commilitonem, & invictam adjutricem esse expertus fuit: Scythis namque ingenti prælio fusis, Pannoniam eis eripuit; Vietricem proinde Virginis statuam inter publicos Orientis plausus triumphabundam circumduxit. *Nicetas lib. 5. Annal.* Prope est in veritate MARIA invocantibus se. *S. Bern. super Salve Regina.* S. Maria, &c. Pag. 2.

28. Bellis Civilibus, quæ Brana Tyrannus concitârat, Isacius Angelus Orientis Imperator exagitatus, validi, quem contrahere necessitas suadebat, exercitûs locò ex Hodigitrio Monasterio B. V. imaginem adferens, eam super illa Urbis afflictæ mœnia collocavit, ubi locus debilitior, & gravior hostium impressio timebatur. Nec sua frustratus expe-

Etatione Cæsar, nam ab imminentि periculo, succurente Longobardo Duce Monferratenſi, liberatus est. *Baron. ad Ann. 1187.* Tua Virgo misericordia nulli unquam defuit. *Guil. Paris. cap. 18.* S. Maria, &c. Pag. 2.


29. Basilius Porphyrogenitus Zimiscæ ut in Regno, ita & pietate Mariana, &, quod consequens est, in victoriis etiam hæres successit. Cujus ope cùm Archridem Bulgarorum Regiam occupâisset, ac ex eis summis opibus, gemmis nimirum unionibus, ac centum auri centenariis locupletior redditus fuisset, templum Opitulatricis suæ liberalissime dotavit. *Michael Glycas p. 4. Annal.* Olim condebantur, sed, heu! nunc saepe templa per milites spoliantur. S. Maria, &c. Pag. 2.

30. In prælio contra Scythas gesto gravissimum vitae discrimen 29. April. die subiverat Alexius Comnenus:

nenus : jam quippe unus hostium equi , cui insidebat , frænum apprehenderat , alter eum per fimbriam vestis mordicùs tenebat , ex eorum tamen manibus feliciter evasit , qui fortes suas manibus B. V. commiserat . Hujus pallium manu ipse suâ prætulit exercitui , ac ejus ope evasit incolumis . *Nieremb. in troph. Marian. lib. 5. cap. 45.* Nullum MARIA deserit , nisi prior ipsa deseratur . S. Maria , &c. *Pag. 2.*

31. Cum iisdem dimicaturus hostibus , eodem fretus patrocinio , ita hostes fudit Alexius Comnenus , ut actione ipsâ trucidandi , & assiduâ brachiorum jactatione , ad novam semper lanienam abundante materiâ , incredibili lassitudine deficerent milites , & quasi messi cuidam impares , impetum ultrò remittere sint coacti : quâ cæde universa propè cum prolibus & matribus gens Scythica interivit . *Alex. l. 8.* Qui  
vin-

vincere vult, pugnare prius discat àgio  
Commeno. S. Maria, &c. Pag. 2.



## FEBRUARIUS.

I. **U**ri populi sexaginta milliumque  
armatorum numero in campum, pug-  
natum, transmisso Istro, effusi, Con-sùs  
stantino Duci non exiguum terro-rus.  
rem incusserant: nam non nisi 150. pre-  
milites, quos insanæ illi multitudi-den-  
ni obviam duceret, sub signis nu- eam  
merabat. Nec tamen desperavit, pug-  
sed indictò Civibus jejuniò, supplex pug-  
inter lacrymas opitulatricem MA- and  
RIÆ dexteram exorabat: &, mira  
res! die eadem visa est ingens mi- die  
litum multitudo in acie Constan- 2  
tini dimicare, tantamque telorum mu-  
copiam in hostes jacere, ut ferè o- stes  
mnes vulnerati, humanâ majorem Go-  
vim agnoscentes, vietas Constanti-  
no manus dederint, séque ei homa- (a)  
giò

t àgio præstito subjecerint. *Spondan.*  
 ad An. 1065. Par nobis tutela, si par  
 in MARIAM fiducia.

S. MARIA, Patrona Christiano-  
 rum (a) patrocinare omnibus DE-  
 UM verum, veram Ecclesiam, verós-  
 umque Tibi, Tuóque Filio fideles pro-  
 m-pugnantibus; ne prævaleat adver-  
 sùs eos hostis truculentus & barba-  
 ro-rus. Respice Christianam gentem  
 pretioso Unigeniti tui sanguine re-  
 di-demptam, & expugna impugnantes  
 hu-eam, ut iis Tuo sub patrocinio ex-  
 it, pugnatis, Te verum (b) & inex-  
 expugnabile (c) patrocinium Christi-  
 anorum Orbe toto gloriemur.

Nota: *Hæc clausula repetitur quoti-  
 mi-die hoc Mense.*

2. Justinianus Legum zelantissi-  
 mus Imperator, contra plurimos ho-  
 stes triumphavit, nam Vandalo-s,  
 Gottho-s, Abzagōs, Tzanos, Persas,

B

Sama-

(a) *S. Joseph in Hym. Mar.* (b) *S.  
 Bern.* (c) *Joan. Damasc.*

Samaritanos diversis conflictibus  
superavit, quæ tamen omnia beneficiorum  
Sanctissimæ DEI Matris ad  
scripsit. Nam ita lib. I. cap. de Officio  
Præfectoris loquitur: *Hoc etiam deprecan-*  
*tes exoramus, sanctæ & gloriosæ semper*  
*Virginis precibus, ut quidquid minus*  
*Reip. nostræ, per nos ultimos servos suo*  
*restituat Deus. Colvenerius. Nullis bel-*  
*li motibus succumbit, cuius spes re-*  
*cumbit in MARIA. S. Maria, &c.*

Pag. 21.

3. Grandem contra Moschos exercitum Tartarus conflaverat, jam regni terminis appropinquans; Moschi periculō territi, desperatā in armis ope Voldimeriam diffugiunt, inde imaginem B. V. à miraculis notam pro tutela allaturi, cui Principeps pedes obviam factus, supplex cædem à populo ut averteret, rogat, & impetrat: nam dissidiis inter Tar- taros ortis, in vanum grandis ille exercitus dissipatus, evanuit 1394.

II

In beneficii accepti memoriam, eodem in loco, quo Princeps imaginem exceperat, templum est eratum, annuâ festivitate 26. Aug. frequentatur. *Sigon. Liber in Hist. Mosch.* Non differt beneficia hæc Virgo, vix rogata, statim erogat. S. Maria, &c. Pag. 21.

4. Arcillam obsessurus in Africa Alphonsus Rex Lusitaniæ, qui anno 1481. obiit, B. Virginem priùs precibus, quām Urbem armis, suas in partes flectere tentavit: equum quippe vovit argenteum, cui Rex item argenteus eo armorum apparatus instructus, qualis tunc copias ducebat, insideret; & Virgo Regis desiderio, & suo Rex voto abundè respondit: nam Urbe obtentâ, & prædâ ibidem, octingentorum aureorum millia superante, adeptâ, promissa ædi B. V à Rubo dictæ donavit. *Vasconcell. Anaceph. 15.* Nunquam se liberalitate vinci patitur

munifica Cœli , terræque Imperia  
trix MARIA. Sancta Maria , &  
Pag. 21.

5. Stat nobile victoriarum auspi  
ciis Marianis relatarum monume  
tum in Prussia Mariæburgum , ho  
est, quod Equites Teutonici ( qu  
& Fratres MARIÆ se dici gaudent  
Prussiâ , an. 1223. magnâque Livo  
niæ parte adeptis , in perpetuum  
gratitudinis erga Dominam suam te  
stimonium condiderunt. *Polydorus*  
Secunda illi sunt omnia , cui prima  
post DEUM cura de MARIÆ  
S. Maria, &c. Pag. 21.

6. Tornacum à Barbaris cinctum  
eà rerum omnium penuriâ laboran  
cœpit, ut nec munitio Urbi defen  
dendæ par , nedum annona vel pr  
quadridui spatio suffectura præst  
eset. Quare communi Civium con  
fensu ductâ per urbem supplicatio  
ne portarum claves in manibus E  
V. depositæ, ejusdēmque curæ con  
mer

pera mendatæ sunt. Nec vana piorum  
& fiducia fuit : hostes quippe ante  
quadriduum obsidionem solvere,  
terrore cœlitùs immisso , sunt com-  
pulsi : *Ex Archiv. Eccl. Tornac.* Si vis  
cordis arcem ab hostibus immunem  
conservare , ejus claves M A R I Æ  
commendare disce. S. Maria, &c.

*Pag. 21.*

7. Ferdinandus primus Arrago-  
niæ Rex , in perpetuam memoriam  
insignis victoriæ de Barbaris repor-  
tatæ , cùm adhuc esset Castellæ in-  
fans, Liliatorum Equitum ordinem  
Intemeratæ Virginis honori sacrum  
fundavit 1403. *Gonon. in Chron. B. V.*  
Absit à Matre DEI, quæ fontem pie-  
tatis toti mundo peperit , ut cui-  
quam miserorum suæ misericordiæ  
subventionem unquam deneget.  
*Guiliel. Paris. in Rhet. Div.* Sancta  
Maria, &c. *Pag. 21.*

8. Constantinus Palæologus post  
ann. 1446. Urbe & Imperio exutus,

non multò post Constantinopolim  
victor rediit. Cujus id actum op-  
sit, liquide monstravit, dum profusi  
præ gaudio lacrymis, palam B. V.  
gratias pro concessa contra Barba-  
ros victoria retulit, ac imaginem  
ejusdem triumphali sublimem esse  
do jussit circumferri. *Gregor. in His-  
tor. Ne regnorum vacillet navis  
anchoræ huic est affigenda, nec com-  
movebitur in æternum. Sancta Ma-  
ria, &c. Pag. 21.*

9. Rollo Nortmanniæ Dux, Carnutum Urbem Galliæ obsidione ten-  
taverat. Incolæ ab armis non satis  
parati, ad pietatem (ut hæc in arcto  
solet esse ferventior) configiunt,  
& indusium B. V. instar vexilli  
inœnibus suspendunt. Ridere pri-  
mùm hostes, at risum sero fletu sol-  
verunt; cœcitate quippe Divinitus  
percussi, & Carnutensium præda fa-  
eti, pessimum temeritatis suæ finem  
viderunt. *Anton. 2. p. Hist. l. 16. c. 2.*

Impunè nunquam deridetur M A-  
RIA , justis placida , scelestis acer-  
ba . S. Maria , &c. Pag. 21.

10. Inter admiranda Virginei  
patrocinii exempla & illud notant  
Historici , quod Ferdinandus Rex  
Catholicus Granatam Regni Me-  
tropolim sæpiùs tentatam , priùs ex-  
pugnare non valuerit , quàm MA-  
RIAM belli sociam fœdere sibi jun-  
xisset : vix enim Rex Catholicus  
templum se honoribus Virginis illi-  
batæ sacrum , urbe adeptâ , extructu-  
rum vovet ; Granatâ potitur , & voti  
reus , gratitudinis debitæ vestigal  
sacræ Bellonæ persolvit . Carth. tom.  
2. l. 1. hom. 19. §. 4. Tuas , ut op-  
tuletur , preces Virgo expectat ; vi-  
de ne tardes . Sancta Maria , &c.  
Pag. 21.

11. Malaca , celebritate Grana-  
tensis Urbis æmula , novam Ferdi-  
nando Regi Catholico vincendi , &  
B. V. opitulandi dedit materiam :

hanc enim urbem ut promptius ex pugnaret, sociam sibi belli MARIAM elegit, ejusdemque iconem in castra detulit, non relaturus; illam quippe in templo Fratrum Minorum publicæ populi venerationi colendam exposuit. Unde etiamnum fratres Victorii nuncupantur. *Nieremb. in troph. Mar. l. 2. c. 38.* Nil nisi victorias MARIA novit, quæ prius cœpit vincere, quam nasceretur. S. Maria, &c. *Pag. 21.*

12. Henricus Infans Portugallæ, Cultor MARIÆ devotissimus, dum ad propagandam fidem Catholicaam expeditionem pararet Indicam 1696. DEIPARAM ejus Præsidem solenniter adoptat, ac in portu Ulyssiponensi elegans eidem facelum ponit; quam auspice patefacta India, & nobilissimæ ibidem collectæ de Barbaris victoriæ, ejus operi invocantibus adfuisse testantur. *Maff. lib. 2. Hist. Ind.* Feliciter navigat,

gat, qui hanc stellam maris pro Cy-  
nosura obtinuit. Sancta Maria, &c.  
*Pag. 21.*

13. Vasquius Gama Emmanuelis  
Regis Architalassus, grande illud  
orientales Indias Regi Catholico  
subjiciendi negotium, non nisi au-  
spiciis ejus, quæ solem nobis dedit  
Justitiæ, ordiri voluit: quas tamen,  
hâc ei lucem præferente, per tot  
pericula & ad Hispaniæ jugum, & ad  
veræ fidei lumen feliciter cœpit per-  
ducere. *Cartag. tom. 3. c. ult. ex Osá-  
rio.* Aurora mundi pluribus lucem  
dedit. S. Maria, &c. *Pag. 21.*

14. Laurentius Almeyda Lusita-  
niæ Prorex, An. 1505. à Zamorino  
Rege Calecuti (quod est celeberrimi-  
num Orientis Emporium) classe  
celsarum 60. ampliüs navium, bire-  
mium 130. omni telorum genere  
instruetissima impetus, cùm non  
nisi undecim naves in hostem arma-  
tas ducere posset, pro felici pugnæ

successu D. Virginis templum vovet, si vicisset: ratum æther votum habuit, nam multis hostium navibus mersis, cæsis tribus circiter millibus, 6. tantum è suis desideratis, captivas trahens onerarias novem, ingenti prædâ & gloriâ auctus rediit.  
*Sanromanus lib. 1. cap. 7.* Tantum juvat in deploratis implorare MARIAM. S. Maria, &c. Pag. 21.

15. Idem Almeyda Laurentii Proregis filius à Rege suo in Indiam missus, iteratò felicibus, quia Marianis, rem gessit auspiciis: nam Anno 1505. Monzabam Urbem appulsus, eam ipso Assumptæ in Cœlum Virginis per vigilio arctare cœpit, nec multò post expugnavit. *Sanroman. in Hist. Oriental.* Accedamus cum fiducia, ut misericordiam, & gratiam consequamur in tempore opportuno. *Ad Hebreos 4.* Sancta Maria, &c. Pag. 21.

16. P. Josephus Ancheta è Societa-

cietate JESU, solus inter Brasilos  
obses pacis relictus, manifesto vitæ  
discrimini quotidie expositus, fe-  
ram inter gentem, humanæ carnis  
avidissimam degebat: uni salutem  
suam adscribit publicæ salutis Ma-  
tri, in cuius honorem in ea homi-  
num barbarie bis mille octoginta  
sex disticha metrorum concinnavit.  
*Barretarius in vita.* Ille cesset ama-  
re MARIAM, qui invocatam sibi  
sensit defuisse. Sancta Maria, &c.

Pag. 21.

17. Bellum inimicis illatus Si-  
gismundus Rex Poloniæ, ad Claro-  
montanam priùs à miraculis toto  
Orbe famosissimam DEIparæ imagi-  
nem, Episcopum Cracoviensem de-  
legat pro auxilio impetrando. Hic  
dum ardentius pius Præful pro po-  
puli sui felicitate supplicat, audit  
sunt dæmones, incondito tumultu  
excito, vociferari. O MARIA !  
non cessas pro Nazaræis postulare.

Vincent. in Kalend. 2. Mart. Ad nomen magnæ Dominæ vel orcus contremiscit. S. Maria, &c. Pag. 21.

18. Hac dæmonum indignatione nihil commotus Rex Sigismundus, tantò audentior in hostes insurgit, quantò certiorem sibi à Virgine & DEI para, frendente licet orco, pollicebatur successum : nec vanè , adeò quippe prosperè cessit prælium, ut viginti hostium millia triumphali ferro messuerit An. 1514. Nec tamen beneficii immemor vixit : nam prædictum B. V. templum magnificis quo ad vixit muneribus locupletare non destitit. Ibid. Per tempora via est ad triumphos. S. Maria, &c. Pag. 21.

19. Ferdinandus hujus nominis V. Rex Hispaniarum , ope B. V. Mauros totâ ejecisse Hispaniâ legitur , in cuius testificationem præcipuum eorum in urbe Malaca fanum Reginæ Angelorum consecravit, ac inter

inter insulas Barbaris ereptas, unam  
Immaculatæ Conceptionis Insulam  
indigitavit. *Mariana lib. 30. cap. 27.*  
Qui tempestatibus agitur, hanc in-  
quirat fortunatā Insulam MARIAM.  
S. Maria, &c. *Pag. 21.*

20. Cananoram Indiæ Orienta-  
lis arcem, cui Laurentius Butti præ-  
erat, à 59. hostium millibus obse-  
sam, rigidior intus fames angustia-  
bat, adeò, ut ne muribus quidem ac  
insectis parcerent. Ad publicum  
Christianitatis asylum spe pleni ac-  
currunt obfessi, & repente intume-  
scens pelagus, tantam locustarum  
copiam ad templi Mariani fores ej-  
cit, ut collectæ non fami tantum se-  
dandæ, sed & morbis pellendis suffi-  
cerent An. 1507. *Maffæus lib. 3. Hist.*  
*Ind.* Adeò non Palladem modò bel-  
ligeram, sed & Palem se invocanti-  
bus præstat Virgo. S. Maria, &c.  
*Pag. 21.*

21. Viginti suorum millibus Ma-

mudius Cambaiæ Rex arcem Diensem captivam tenebat, verùm Johannes Castrius Indiæ Prætor assumptâ exiguâ Lusitanorum manu, eruptione in eos tentatâ ita fertur, ut eos partim fugaverit, partim confecerit.

**1546.** Nec suâ tamen virtute: nam, ut ex captivis intellexit, visa super arcis ædicolam DEI para ita terribiliter radians apparuit, ut oculis propè capti, quid consilii caperent, non invenirent. *Spinell. de exempl. B. V.* **n. 58.** Non est consilium contra Dominam. *S. Maria, &c. Pag. 21.*

**22.** Sexcenta Barbarorum millia Anno 1580. exiguam 200. Lusitanorum copiam invaserunt; actum erat de eorum vita, nisi suorum misera calamitates Virgo Mater, in aëre sublimis, splendore suo inconditam illam Æthiopum multitudinem in tenebras & fugam coëgisset, ita ut ne unus quidem è devotis MARIAE Lusitanis desideraretur. *Franc. Bense.*

Bene. in An. Impossibile est ut per-eat, qui sub patrocinio MARIÆ vi-vit. S. Maria, &c. Pag. 21.

23. Insignes iteratò de Angolanis victorias retulerunt Christiani. Luculentius in ea Sanctissimæ Vir-ginis patrocinium emicuit, dum vi-sibilis super Christianorum castra. 1583. anno, Regem Angolæ provo-cantia comparere dignata, Barbaro-rum copias terruit & fugavit. *Spinel.* tr. de exempl. n. 59. Quid hostes ti-metis Christiani? Ducem habetis in-vincibilem MARIAM. Sancta Ma-ria, &c. Pag. 21.

24. In extrema Africæ ora apud Æthiopes Sodalitatem S. MARIÆ de victoria Lusitani erexerunt, cui prosperè in bello gesta referunt ac-cepta. Unde pia invaluit consuetu-do, ut nunquam castra in campum educant, quin imaginem B. Virgi-nis secum afferant, ut thronum gra-tiæ, ad quem illicò confugiant.

Frane.

*Franc. Benc. in Annal.* Nemo propior accedit ad laureas , quām cui proxima est MARIA. S. Maria , &c.  
Pag. 21.

25. Malaca decem armatorum millibus , & nongentis non parvæ magnitudinis tormentis bellicis munita Lusitanis erat expugnanda An. 1588. revocabat exiguis quadrinquentorum tantum & viginti militum numerus, sed imminens B. Virginis Assumptionis festivitas animos addebat, cujus auspicio Præsidium aggressi , felici inchoata fine terminârunt. *Idem.* Si insurgat contra me prælium, in hac ego sperabo. Sancta Maria , &c. Pag. 21.


26. Relata festo DEIparæ victoria eam Lusitanis mentem indidit, ut nunquam , nisi aliquo festorum Virginis die, hostem aggrederentur, quâ confidentiâ eam à clementissima Domina gratiam obtinuerunt , ut nulla iis festivitas otiosa transi-  
ret,

ret, quâ non aliquam hostibus pal-  
mam eripuissent. *Idem.* Tunc tem-  
pus est acceptabile, tunc sunt dies  
salutis, quando dies sunt MARIAE.  
S. Maria, &c. *Pag. 21.*

27. Brasilienses Ethnici Anno  
1590. Piratiningam Christianorum  
Urbem eo successu invaserant, ut  
jam exteriorem Præsidii munitio-  
nem expugnaverint, residuas pari-  
ter obtenturi, nisi vindictam in se  
DEI paræ concitâssent: nam ubi sta-  
tuæ B. Virginis caput comminue-  
runt, versa est belli alea, victorésque  
Barbaros gloriosiori Neophyti stra-  
ge repulerunt. *Franc. Bencius in An-*  
*nal.* Si consurgant adversum me  
castra, non timebit cor meum, spē  
nixum in MARIA. S. Maria, &c.  
*Pag. 21.*

28. Justinus Imper. Junior An-  
no 1577. præclarum Regibus exem-  
plum reliquit, quibus auxiliis con-  
tra hostes movendum. Persis enim

Imperium vastantibus ille ad DEI-  
param configuit, quæ ut felicem bel-  
li finem concederet, eidem Impera-  
tor templum struere cœpit, ut de-  
victis hostibus, Virgo in medio ini-  
micorum suorum dominaretur, ser-  
viréntque inimici illius pro scabello  
pedum ejus. *P. Guiliel. Gumpenberg.*  
*in Atl. Mar.* A Jove principium fe-  
lix sequitur exitus. S. Maria, &c.  
Pag. 21.



## MARTIUS.

1. **I**Mperialis civitas Chilensis, à Barbaris obsessa, fame, sitique propè ad desperationem absumeba-  
tur, præda hostibus futura, nisi Ci-  
ves Sanctissimæ DEI Genitricis o-  
pem supplices impetrâssent: nam integri minutarum avium greges obfessorum sedaturi famem advo-  
lârunt; putcus pariter ab hominum  
me-

memoria siccus, aquâ manare cœpit, urbe demum obsidionis angustiis exemptâ, ad pristinam fons sterilitatem rediit 1600. *Spinel. de mir. n. 9.* Numquid Mater est, quæ tam sollicitè suis providet?

S. MARIA, Bellatrix egregia (a) vides bella premunt hostilia, tua imploramus, opitulare, auxilia. Proto, tuique honore Filii strenuè bellantibus assiste; ut subjugatis sacrorum Nominum vestrorum blasphemis hostibus, Christianarum pax Ecclesiarum, nullâ posthac turbetur barbarorum tempestate bellorum.

Nota: *Hæc clausula repetitur quotidie mense Martio.*

2. In urbe Pizza magna populi Religione colitur vexillum quoddam B. V. imagine conspicuum, quod magnum Comitem Rogerium olim contra Mauros usum fuisse Annales memorant. Visò namque vexillò velut

(a) *S. Bern.*

velut ad Gorgonis conspectum ob-  
stupuere Barbari, Christianis felici-  
ter hostes detriumphantibus. *Pau-  
lus Belli.* Plures fors etiamnum nu-  
meraremus plausus, si plura Marianæ  
vexilla in castris nostris censerentur.  
S. Maria, &c. Pag. 39.

3. Recuperatâ fortiter Constan-  
tinopoli, triumphalem Michaël Pa-  
leologus parabat ingressum, in quo  
tamen non prior ipse, quàm DEI  
Parentis imago devictam Urbem  
subiit: hanc enim magnifico splen-  
didam ornatu per auream, ut voca-  
batur, portam, in toga privata hu-  
milis pedes sequebatur, ut eam verè  
Hodogetriam, id est, viæ Monstra-  
tricem testaretur. *Greg. lib. 4.* Ulti-  
nam hujus Regis ad exemplum com-  
ponatur Christianus Orbis ! Sancta  
Maria, &c. Pag. 39.

4. Singularis in MARIAM pie-  
tas adjumento fuit Cortesio Recto-  
ri Hispano, quòd adeò prosperè no-  
vum

vum Orbem debellaverit: post Mexicanici regni occupationem palam confessi sunt Indi, se Christianorum armis facilè responsuros fuisse, nisi foemina quæpiam super eorum castra militans pulveres in pugnantium Indorum oculos sparsisset. *Gomara Hist. Mex. c. 103.* Oculatos nos esse decet, ut eam respiciamus in bellis, quæ nullum despicit invocantem. S. Maria, &c. Pag. 39.

5. Cuzcum Civitas à ducentis Peruanorum millibus obsessa Ferdinandu Pizarro Gubernatore à 150. Hispanis non sine miraculo est defessa: cùm enim Barbari projectis ignibus omnia Urbis ædificia flammis involvissent, sola eaque lignea B. V. nomini sacra ædes ab ignibus mansit intacta. Inflammavit hoc obsessorum in MARIAM affectus: ardentius eam invocant, & horæ non ivere inultæ, cùm arcana vi hostis à mænibus est repulsus. *Garcilassus Junca*

*Juca Hist. Peru. tr. 2. lib. 2. c. 24.* Ardeamus nos ejus amore, ut inimicorum in nobis tela restinguat. S. Maria, &c. Pag. 39.

6. Antonius Mendoza primus Mexicanus Regni recenter Barbaris erepti Prorex, Joannem de Oronte ad arcem quandam editissimæ rupi impositam, oppugnandam expedit. Ridebant vanos tam paucorum Hispanorum conatus Barbari arcenses, donec visâ Virginis cujusdam pro Hispanis præliaantis Majestate territi, locum Victoribus cesserunt. Meruit hunc Virginis favorem Joannes, quod sanctissimum ejus nomen ante pugnam invocaverit. *Villagra in Hist. Mex.* Solum MARIAE nomen, propitium nobis facit Numen. Sancta Maria, &c. Pag. 39.

7. Iterum Lusitanorum viatorias ope Virginis partas numeramus Anno 1587. Prætor quippe bellum institurus,

iturus, flexo quotidie genu D E I-  
paræ imaginem precatione humili,  
inspectante exercitu, venerabatur;  
quæ pietas eas Lusitanis vires ad-  
didit, ut duodecies centena Ango-  
litanorum millia, quæ fuderint, quæ  
fugaverint. *Franc. Bencius in Annal.  
Angol.* Quod humanæ desperarent  
vires, id facile præstat invocatio  
Virginis Divinæ. S. Maria, &c.

Pag. 39.

8. Christiani quidam ex Diœcesi  
Girundensi, Joanne Cassani Navar-  
cho in apertum vitæ discrimen ve-  
nerant: jam enim pyratarum hosti-  
um navibus intercepti, quid age-  
rent non dubitabant: Monserrat-  
ensis DEIparæ opem supplices ex-  
petierunt, & impetrârunt, dum se  
periculo exemptos gavisi, se gratia-  
rum agendarum debitores Sospita-  
trici stiterunt Virgini, idémque  
grati animi anathema posuerunt.  
*Vincent. Charon. 1546. 20. Julii. Ne-*

mo

mo securius navigat, quam cui remi  
preces, & vela DEI paræ sunt merita.  
S. Maria, &c. Pag. 39.

9. Luceriam nobilem civitatem  
è Barbarorum dominatu ipso glo-  
riosæ Assumptionis B. V. die, ejus-  
dem utique singulari Patrocinio, sui  
juris fecit Carolus hujus nominis  
primus Rex Siciliæ; quod ut secu-  
turo etiam Orbi innotesceret, Ur-  
bem eam MARIÆ nomine insigni-  
vit, & simul Archi-Episcopale tem-  
plum Neapoli condidit. *Colvener.*  
*in Kal. Mar. 28. Aug.* Quot templæ  
Parthenia, tot in Regno censenda  
præsidia. S. Maria, &c. Pag. 39.

10. Valido stipatus exercitu ex  
improviso Constantinopolim ten-  
taturus Orchanus Authumanes nun-  
ciabatur. Andronicus junior cum  
angustiis temporis justo apparatu  
excluderetur, 20. nobilibus, & 49.  
vulgaribus comitatus juvenibus ve-  
nienti fit obviam; &, quod mireris,  
vifo

viso horum adventu Barbari ingen-  
tem appropinquare exercitum rati,  
fugâ dilapsi, campum Andronico  
reliquerunt. Rei tam insperatæ e-  
ventu lætus hic, nocte 45. stadio-  
rum viam in Beatissimæ Virginis  
Hodogetriæ templum decurrit, to-  
to illi pectore gratias persolvit.  
*Niceph. Gregoras lib. 11.* Ubi humana  
desunt auxilia, adsunt cœlestia, si  
cœli invocetur Regina. Sancta Ma-  
ria, &c. *Pag. 39.*

11. Philippus Tertius Hispania-  
rum Rex, piissimus Mariani cultûs  
promotor, utpote qui à Sancta Sede  
diploma petiit, ut per totam Hispa-  
niam Immaculata Virginis Concep-  
tio, velut dogma Fidei crederetur;  
hujus invocatione Alaraschiam ar-  
cem, arte & loci naturâ munitissi-  
mam ad columnas Herculis ex op-  
posito Gadium sitam, frustra olim  
à Majoribus tentatam, in potesta-  
tem suam Anno 1610. Barbaris avul-  
sos

sam redegit. *Baling. 31. Martii.* Ita suæ sine labe omni Conceptionis propugnatores, propugnat MARIA. S. Maria, &c. *Pag. 39.*

**12.** In illa Scythica Regnorum & Provinciarum vastatione, An. 930. facta, etiam oppidum Cameracense eorum passum est terrores: sed interpellata à Fulberto Episcopo supplici voce Virgo afflitorum solatum, Urbem hosti inexpugnabilem, Civi illæsam conservavit 2. Aprilis die. Fructus hic veteris in MARIAM devotionis fuit, quâ Beatissimam Virginem in Urbis suæ Patronam eligentes, ei Anno 524. templum S. Vedasti operâ exerunt. *Baron. ad an. 930.* Non perditur, quod in MARIÆ honorem expenditur; sed cum fænore in tempore opportuno rependitur. S. Maria, &c. *Pag. 39.*

**13.** Sanctissimus Pater Clemens V. non semel in Syriam, & Insulas Baleares sacrum bellum indixit, fa-

Ita cile à se Barbaros debellandos ratus, utpote qui MARIAM pariter sibi haberent inimicam. Ergo dum Barbari blasphemis Virginem Sanctissimam calumniis insectantur, Pontifex devotis eam precibus sibi conciliat in prosperum bellorum successum. *Baling. 20. Apr.* Ab hoc Ecclesiæ Patre disce ad Matrem DEI in necessitatibus confugere. S. Maria, &c. *Pag. 39.*

14. Madritum ab Hali Arabe ingentibus copiis vallatum, sæviore intus ab hoste, fame, premebatur, cum nullæ ullibi apparerent suppeditiæ, ad thronum gratiæ MARIAM Civis confugiunt, orant, & per quidquid sacrum est, obtestantur; mira res! nondum finis supplicationi impositus erat, & dum fortuitò juvenis murum fodicaret, tanta inde tritici copia manare cœpit, ut ad populi obsessi solatium, & alimoniam abundè sufficeret. *Nieremb. l. 2. c. 18.*

Hæc verè navis institoris est de longe portans panem. S. Maria, &c.  
Pag. 39.

15. Ramirus Rex Hispaniarum, Regni sui thronum firmaturus, & mulorum hostium vires sæpiùs labe factare tentavit; & verò etiam gloriosæ DEI Genitricis apud Filium suum intercessione obtinuit, ut fusis Barbarorum copiis triumpharet. Néve gestorum memoria elaberetur cum tempore, trophæum fixit, nullā temporum iniquitate abolendum, dum ad latus montis Naurantii & dem Mariano cultui aptam ædificavit. *Mariana in hist. Hisp.* Quid non possit talis Mater apud talem Filium? S. Maria, &c. Pag. 39.

16. Justinianus, jam semel à nobis datus MARIÆ cliens, Imperator, circa annum 530. Hierosolymis in honorem Patronæ suæ magnificenter tissimum stare voluit templum. Par munificentia in Samaria, Pegæ, Constan-

stantinopoli, Antiochiæ, & apud Abzagos Caucaso montium Giganti confines, Carthagine, DEIparæ Basilicas posuit, pro grati animi testificatione, quod ejus auxiliō, & singulari beneficiō Africā potitus esset.

*Antonius Balingh. 13. Novemb.* Hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. *S. Bern.* *S. Maria, &c.*

*Pag. 39.*

17. A multis vitæ periculis, & occultis machinationibus immunem se conservatum Beatissimæ Virginis gratus referebat Alexius Comnenus; maximè cùm Boimundo Constantinopolim obfessuro obviam profectum ita protexit DEIpara, ut superbū priùs, & Constantinopolim spe devorantem inimicum adeò terruerit, ut ad pacem à se petendam impulerit. *Ita Alexias ejus filia lib. 13. hist.* In te Beatissima nostrorum est expectatio præmiorum. *S. August.* *Serm. 2. de An.* *S. Maria, &c.* *Pag. 39.*

18. Ottocarus & Luithpoldus, Marchiones Austriæ & Styriæ, locum, qui nunc Traunkirchen dicitur, contra Ethnicos sæpiùs irrito conatu oppugnârunt, donec anno 700. visa DEIpara ad redintegrandum prælium hortata, fecit, ut stratagemate nostri locô potirentur; quo in loco dicti Marchiones tempulum Virginis Assumptæ nomini dicatum erexerunt, quod tamen temporum iniquitate collapsum in oblivionem venerat, donec Ferdinando secundo Imperatore templum Patribus Societatis JESU Collegii Passavensis conferente, ad priorem redire nitorem cœpit. *P. Guil. Gumpenberg. in Atlante Mar.* Nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ô castissima! *S. Germ. serm. de zona B. V.* S. Maria, &c. Pag. 39.

19. A Vesnensium in Hannonia traditio est, Statuam Beatissimæ Virginis, quæ ad templi vestibulum colitur,

litur, suo loco obsidionis tempore motam, obviam ivisse hostibus jam-jam in urbem irrupturis, eōsque non aliis armis, sed virgā solum decor-ticatā oblongā ita terruisse, ut pedem referre sint coacti. Hæc tradi-tio fidem tantò majorem obtinet, quod annuō festō ejus beneficii me-moriā, grati Cives recolant festo DEIparæ in templo Præsentatæ.

*Guilielm. Gumpenberg. in Atlan. Mar.*  
Si quid spei in nobis est, si quid gra-tiæ, ab illa noverimus redundare.  
*S. Bern. Serm. de Nativ. B. V.*, S. Ma-ria, &c. Pag. 39.

20. Priusquam dira Turcarum barbaries, sacra omnia in Hungaria profanasset, augustum, haud procul Budā (quæ olim Sicambria diceba-tur) DEI Matris templum coleba-tur, quod ad Albam MARIAM vo-cabatur. Templum hoc à Carolo Magno conditum fuit ex spoliis, quæ ope DEIparæ contra Barbaros

pugnans, reportavit. *Cuspin.* in vita  
Caroli Magni. MARIÆ supplicemus,  
ut vindicet hæreditatem suam. S.  
Maria, &c. *Pag.* 39.

21. Vivit æterna Uladislai Polo-  
niæ Regis memoria etiam post fata.  
Hic ob partas contra Barbaros vi-  
ctorias, auspici suæ gratus, Lublini  
templum ædificavit, quod trium-  
phus MARIÆ diceretur. Pugnabat  
hic Rex non Regnorum ambitione,  
sed Barbarorum conversionis desi-  
deriō impulsus; nam post Prussiam  
occupatam, plusquam 30. pagano-  
rum millia ad Fidem convertit. *Cro-  
merus ad ann. 1434.* Tunc arma ju-  
vat Regina cœli, cùm pro cœlo tra-  
stantur. S. Maria, &c. *Pag.* 39.

22. Ptolemaidem Syriæ Civita-  
tem obsidentibus Christianis, jám-  
que ob desperatum occupationis  
successum recedere cogitantibus,  
apparet Virgo Sanctissima An. 1191.  
4. Julii, útque in arce oppugnanda  
per-

perseverarent, hortatur, promittens eam quatridui spatio eorum manibus cessuram. Veritatem eventus ostendit, Urbe captâ 7. Julii. Rich. Canon. Londin. in itin. Rich. Reg. Ang. Si MARIA nec invocata Patronam se exhibet, quid humiliter rogata faciet ? S. Maria, &c. Pag. 39.

23. Belliger ætate suâ famosissimus, simul ac felicissimus, quia confidentiâ in MARIAM summus, fuit Arthurus. Duodecies belli Dux hostiles aggressus est copias, & duodecies triumphum reportavit. Invulnerabilis videbatur, non arte magicâ, sed Marianâ ; hujus namque imaginem, semper in præliis è collo gestabat pendulam, quæ omni ægide certius eum defendebat. Henric. Hunt. lib. 2. hist. Angl. Hic verus MARIAE filius fuit ; utinam multos numeraret fratres. Sancta Maria, &c. Pag. 39.

24. Ingens Arabum exercitus,

cœli vi fundendus, se in campum effuderat contra Ramirum secundum Legionensem Anno 938. Hic priusquam illis obviare tentaret conceptis ad Beatissimam Virginem votis accurrit, subsidium orat, & impetrat. Sanctissima Virgo quippe cum Barbaris prælianti cœlestis militiæ choros ei auxiliares expedivit, quorum interventu Ramirus victoriā ingentem, majori hostium parte cæsâ, eorūmque Duce capto reportavit. *Ambros. Moral. Chron. Hispan. lib. 14.* Scitote, quia nullus in ea speravit, & confusus est. *S. Ansel. de Excel. Virg. c. 22.* S. Maria, &c. *Pag. 39.*

25. Bardas Cæsar contra Agarenos pugnaturus, nihil priùs habuit, aut antiquius, quàm ut ad DEIparam configueret : intelligebat enim se bellum feliciter auspicari non posse, nisi se suósque milites, totámque belli tam variabilis sortem Virginis

gini commendâsse. Salutare planè consilium! Hâc enim adjutrice felicibus armis Rempublicam contra hostes vindicavit. Ne ambige de bono omine, invocato MARIAE nomine. S. Maria, &c. Pag. 39.

26. Jacobus Menerius Lusitanus exiguâ classe per fulminantia hinc inde hostium tormenta illæsus pertransiit: testati ex sociis complures expulsi ab hostibus globos, Lusitanorum quà pectori, quà dorso incusso iectu imbelli, solo Lusitanorum contactu emortuos concidisse. Tantum cœli favorem omnes DEI parenti in acceptis retulerunt; cuius imaginem Patres Soc. JESU secum deferentes, classi venerandam proposuerunt. P. Barth, in Hist Asia p. 1. l. 7. Ad te, ô Virgo conversus, & à te respectus, impossibile est ut pereat. S. Maria, &c. Pag. 39.

27. S. Ladislaus Rex Hungariae, pluribus per diversa bella impetratis

è cœlo miraculis gloriosus, ter barbaram Cumanorum ferociam vi|ict
|  |
cibus armis compescuit, dum avitum Hungariæ Patronæ Divæ Virginis honorem venirent profanatum. Vitoriarum suarum spolia in templum Varadini Beatissimæ Virgini ædificandum, & simul Canonicorum Collegium dotandum, impendit : ad quod templum defuncti funus, velut ad centrum, motu proprio, sine veteribus properavit. Steph. Tarnoczi in ejus vita. Regi Mariophilo Maria nūnquam desunt auxilia. Sancta Maria, &c. Pag. 39.

28. Anno tertio Regni Edelredi Regis Angliæ, Londinum arcta obſidione à Barbaris premebatur : Rex tantò ferventiùs, tantóque majori ſpe opis à Beatissima Virgine impe-trandæ, ejus ſe meritis coñendavit, quòd dies ſacræ ejus Nativitati ſolennis eſſet. Mirum ! Civitas statim obſidione liberata eſt, hoſte re in-fecta,

fectâ, ad suos reduce. Quæ miraculosa Virginis beneficentia occasionem Angliæ præbuit, suis insignibus DEIparæ imaginem inferendi, quasi omnem Regni felicitatem, & contra hostes victoriam ab ea se expectare Regnicolæ testarentur. *Baling. in Kal. Mar.* O si Anglia usque modo Angelorum Reginam sic coluissest, Angelica permanesset. S. Maria, &c. Pag. 39.

29. Rhodus, Christianæ Fidei contra Mahometanos arx fortissima, ab his tertiu jam in mensem obfessa, variè premebatur: desperatâ rebus in humanis salute, Petrus Albussonius Ord. Equitum Magister, ad murorum minas, quâ hostis parabat assultum, vexillum MARIÆ nomine insigne collocat, & præsentissimum expertus est munimentum: nam Virgo armata, clypeum, hastamque in hostes rotans, eos terrore perculfos fugat; quibus certa-

tim diffugientibus, Insula libertatem consecuta, MARIAE grates decantavit. *Bovius in hist. Ord. tom. 2. lib. 11.* Ex ungue leonem, ex amictu hoc Christianam conclude Palladem MARIAM. S. Maria, &c. Pag. 39.


30. Scythæ Russiam inundantes Belrium pervenerant, ab Uladislao Duce Opolensi justō præfidiō militari custoditum. Contigit ut Scytharum aliquis iectu fortuito sagittā in id cubiculum mitteret, in quo ante Beatissimæ Virginis imaginem Dux orabat; sagitta illæso supplice transiens, guttur imaginis perforavit: hic justas in iras effervescens Uladislaus, Ecquid Diva, inquit, tuam injuriam non vindicas? Dixit, & in hostes pleno ruens agmine, eos vel in fugam effusos trucidavit, vel captivos duxit. *P. Guiliel. Gumpenberg. imag. 48.* Adeò MARIA suis amabilis, hostibus formidabilis est. S. Maria, &c. Pag. 39.

31. Eadem tempestate Scythicâ cùm tota latè Russia flammis involuta gemeret, Novogradiam pariter hostes obsederant. Re jam propè desperatâ imaginem DELparæ Cze-reanam ( jam dudum miraculis claram ) per Diaconum afferri præcepit ; quam cùm hic loco movere nequiret, Episcopus comitante Cle-ro supplice ritu ad imaginem processit, eámque nullô negotiô loco suo exemptam , hostibus è muro Ur-bis, ubi jam ingressum parabant, ob-jecit, nec inutili pietate ; hostes e-nim conspectâ imagine visum per-didere , ut nec , quâ fugere debe-rent, videre potuerint. *Idem imag. 5.*  
Piis lucem, tenebras inducit impiis

Aurora Solis Justitiæ MARIA.

S. Maria, &c. Pag. 39.





VICTORIÆ  
MARIANÆ,  
CONTRA TURCAS,  
SEU  
MAHOMETANOS.

APRILIS.

I. **O**rbe toto gloriosissima fuit Christianorum contra Turcas, Duce Joanne Austriaco in mari Achaico ad Naupactum An. 1571. relata victoria ; quam totius Christianitatis preces jussu Pii V. Pontificis ad DEUM , & ejus Matrem venerandam institutæ , non sine manifestō miraculō impetrârunt. In perpetuam ejus beneficii recordationem idem Beatus Pontifex Laurentianis MARIÆ litaniis inseruit : *Auxilium Christianorum Ora pro nobis, ac annul-*

annuum Beatissimæ Virginis festum de Victoria instituit. Hâc Turcarum cœde, naves hostiles 120. captæ, 90. depressæ, capta tormenta 160. minora 150. victoriam auxerunt. *Spondanus hic num. 60.* Si ubi, hic locum habet tritum illud: Conveniunt rebus nomina sæpe suis.

S. MARIA, auxilium Christianorum, ora pro nobis; millies ac milles totis medullis cordium, plena cum fiducia quotidie iteramus: itera & tu antiqua præpotentis brachii tui miracula, & novas obtine Leopoldo Cæsari Austriaco, sacróque ei fœdere junctis, laureatas de Turcis victorias; ut exinde novis gaudiis gestiens devotus tibi populus Christianus, Te quoque novis plausibus lætabundus glorificet MARIAM de Victoria.

Nota: *Hæc clausula repetitur quotidie hoc mense.*

2. Solymanno Turcarum tyran-

no

no centum millium pugnatorum exercitu Melitensem Insulam premente, Cives ad implorandam DEI Genitricis opem configiunt, quæ Joanni Valletæ Ordinis Magistro eam constantiam ac robur tribuit, quo hostium viribus suppar Insulam conservavit. In beneficii accepti memnofynon Odæum Beatissimæ Virgini à Victoria dictum in Insula conditum est, ac annua ad illud supplicatio deducenda instituta. *Spondanus ad Annum 1565.* Quid non potest Mulier amicta sole, & lunâ sub pedibus ejus. S. Maria, &c.  
Pag. 61.

3. Romam trajicere parabat Hispanorum navis Anno 1623. quæ obviam sibi Turcarum navim levi prælio expugnatam cepit : in eam devictam dum inscendere parant Hispani, igne subdolo in navi à Turcis accenso, omnes in aëra excussi, in mare recidivi mersi sunt. Fuit inter

inter periclitantes Hiacynthus de  
Roca miles, qui fatali raptatus igne,  
Immaculatam Virginem in clamat;  
& salvus ex alto in triremem recidit.

*Joannes Serra lib. 2. cap. 18.* MARIÆ  
nomen tantæ excellentiæ est, ut ad  
ejus invocationem Cœlum & terra  
lætetur. *Idiota.* Sancta Maria, &c.

*Pag. 61.*

4. Post difficiles navigationes &  
pericula, Damiatam S. Ludovicus  
Galliæ Rex appulit Anno 1180.  
excendere in campum paranti non  
parùm restitere Saraceni, qui tamen  
Christianorum constantiâ superati,  
campum cesserunt. Hæc dum ita  
geruntur, energumena quædam in  
templo S. MARIÆ Tortosano in  
Europa lamentari cœpit, quæ Eccle-  
siastico exorcisno causam fateri co-  
acta, edixit, eo temporis adstitisse  
Beatissimam Virginem conatibus S.  
Ludovici, ut Turcis repulsis terram  
Damiatae occuparet. *In vita S. Lu-  
dov.*

*dov. p. 2.* Facilè lilia MARIAM  
habent propitiam. Sancta Maria, &c.  
*Pag. 61.*

5. Tributa occidentalium regio-  
num ad magnum Turcarum Sulta-  
num vehentes quinque naves ag-  
gressurus Jacobus Grillus, ad Beatissi-  
mam Virginem Monserratensem  
vota & preces flexit pro successu,  
quem secundum consecutus est :  
thesauros ingentes eâ expeditione  
acquisitos ad magnum Ducem He-  
truriæ, cui militabat, defert ; hic  
dum præter laudes, munera etiam  
victori accumulat, Jacobus non sibi,  
sed Monserratensi Virgini victrici  
præmia danda esse monet ; laudatâ  
Dux viri pietate, præter annua do-  
na, duorum millium aureorum lam-  
padem ad aram Virginis appendit.  
*Tamajus in triumph.* Misericordiâ  
tuâ plena est omnis terra, ô MARIA !  
*S. Bern. serm. 4. de Assumpt.* S. Ma-  
ria, &c. *Pag. 61.*

6. Sexaginta probè armatis tremibus instructa Turcarum classis, ductu transfugæ cujusdam à Catholicis ad impios Mahometi ritus deflscentis, ad deprædandum Laurentianæ Domûs thesaurum accincta volabat anno 1618. jámque duodecim non amplius milliaribus Gallicis locô aberat, cùm coorta repente tempestas adeò concusfit temerarios ausus, ut 20. & amplius triremes collisæ mari mersæ sint, reliquæ verò harum exemplò sapientiores, ab incepto cursu vela revocârunt. *Hist. Laur. lib. 2. cap. 19.* Quàm potens est Virgo ! mare & venti obediunt ei. S. Maria, &c.  
Pag. 61.

7. Celebris est imago, quæ multorum populorum concursu colitur, Beatissimæ Virginis effigiem sub Bellonæ cujuspam specie repræsentans; nam eam armis indutam candidis, hastam manu, & in capite coronam

ronam gestantem pictoris manus efformavit, eò quod talis olim in aëre visa fuerit, cùm Sicitanam Urbem contra hostium invasiones incolumem conservavit. *Ex relat. P. Pauli Castelletti.* An non à Divo Bernardo *Bellatrix egregia bellè nuncupatur MARIA?* S. Maria, &c. *Pag. 61.*

8. Urbani secundi Romani Pontificis temporibus, iterum armatus Oriens in Christianorum perniciem tantò periculosius grassabatur, quanto magis ad bellum imparatos offendit Christianos. Rebus igitur afflatis, pro paterna in omnes cura, subventurus Ecclesiæ Pater Urbanus matutinum & vespertinum pulsum instituit, ut eo omnes ad invocandam DEI Genitricis opem, contra hostes summè necessariam, admonerentur. *Arnold. Wion. lib. 5. ligni vitæ cap. 20.* Possuntne muta in laudes Virginis esse ora Sodalium, cùm in anima MARIAM sonant sacra rum

rum æra ædium? Sancta Maria, &c.

Pag. 61.

9. Ingentem de Turcis victoriam obtinuere Poloni Anno 1621. quam tamen non tam suis viribus, quam Beati Stanislai Kostka Societatis JESU apud DEIparam intercessioni adscripserunt: nam ipso pugnæ tempore reliquiæ Beati hujus Poloni Regni limitibus inferebantur, & simul à multis conspectus est Beatus Adolescens in nubibus supplex, pedibus Beatissimæ Virginis accidisse, & pro Victoria gentis Polonæ orâsse; nec immemores Patroni sui vivunt etiamnum Poloni. *Miechoviens.*

*Disc. 220. num. 62.* Facilè verus JESU socius, à MARIA quod petit, impetrat. S. Maria, &c. Pag. 61.

10. Hatvaninum non procul Budâ dissitum Hungariæ Præsidium, Christianorum armis Turcico eruptum est jugo, belli clavum moderante Maximiliano Archi-Duce Austriae;

striæ ; ex qua expeditione redux  
Archidux, ementito habitu devotus  
MARIÆ cliens ad Matrem Cellas pro-  
perat, & argenteum Oppidi Hatvan  
simulachrum aris Virginis imponit,  
hâc inscriptione notatum : Hatva-  
ninum à Rege Maximiliano Archi-  
duce Austriæ 24. Augusti 1596. ex-  
pugnatum. *Andreas Fischer in Hist.  
Cell. Vindica hæreditatem tuam,  
ô Magna Domina ! S. Maria, &c.*  
*Pag. 61.*

II. Cum Joannes ejus nominis  
secundus Castellæ Rex, Saracenos  
magna terris suis damna intulisse  
accepisset, medendum in tempore  
ratus, Beatissimam Virginem con-  
sulturus Quadalupam adit ; ejus  
templum ingressus, preces & munera  
fundit, opem implorat. Hinc re-  
gressus hostem aggreditur, frangit,  
fugat, spolia ampla legit ; Huertam,  
Ximenam, Vellem, & plurima Tur-  
cis eripit fortalitia. *Sancius c. 3 o. p. 4.*

Tem-

Templum ingressus hic vicit, tu præ-euntem sequere, si vis vincere. S. Maria, &c. Pag. 61.

12. Heroica fuere gesta servi DEI & strenui Christi militis Gonzali Episcopi Giennensis, qui trigesies, ob defensionem Christiani nominis, cum Saracenis confixit, & totidem vicibus victor contra eos evasit; semper auxiliantibus Beatissimæ Virginis precibus apud DEUM adjutus: piâ namque consuetudine receptum habebat, nunquam prælium priùs ingredi, quam salutiferum MARIÆ nomen invocasset. Ximenius lib. 1. cap. 13. Dimidium facti, qui sic incipit, habet. S. Maria, &c. Pag. 61.

13. Turcica ex Oriente tempestas Italiam tremefecerat sub Annum 1565. dum Solimanni classis ex Epiro adnavigans, Lauretanæ Domus opibus Christianorum in MARIAM pietate collatis, inhiabat.

Tantō motus periculō pius quisque  
 DEIparam enixē inclamabat, & su-  
 bitō Turcici procella conatūs aliō  
 versa est, Saracenis è Cœlo prohi-  
 bitis, ne agrum Lauretanum vel le-  
 viter contingent, nedum ferrō,  
 flammāve vastarent. *Tursell. l. 4. c. 2.*  
 Arma cum bullis disfluunt, quæ su-  
 muntur contra Matrem Omnipo-  
 tentis. S. Maria, &c. *Pag. 61.*

14. Sub Pio Quinto Sanctissimo  
 Pontifice, & sollicito Ecclesiæ Pa-  
 tre, Anconitani medio mari à Tur-  
 cis fortissimè oppugnati cùm con-  
 clamatum propè de salute sua vide-  
 rent, ad salutis nostræ Parentem re-  
 spicientes, Lauretanam Virginem  
 inclamant, & precibus vota pondus  
 addunt: exemplò cœlitus animi,  
 virésque omnibus additæ, hostisque Ma-  
 multa cum cœde retrocedere est co-  
 actus, qui spe jam Anconitanos pro-  
 pè devoraverat. *Idem lib. 4. cap. 17.*  
 Ubique invocata, præsens adest pro-

Vir-

Virgo Beatissima. S. Maria, &c.

Pag. 61.

15. In parvitæ, felicitatísque suæ discrimen Anno 1585. præcipitaverat sors infausta Epidaurios; periisséntque, nisi subeunte animum recordatione DEIparæ, illi preces & vota nuncupâssent: repentina namque tempestas consurgens Turcas abarcuit; & validior mari ventus incumbens, omnem periculi tempestatem serenavit, dum Epidaurios ad optatum portum Ragusam appulit, & in diversa pyratas abjecit. *Idem lib. 5. cap. 9.* Nullus est, cujus misereatur Divina gratia, nisi per te, ô Virgo nobilissima! *S. Germ. hom. de Zona.* S. Maria, &c. Pag. 61.

16. Anno 672. numerosissimoisque Mahomet fretus exercitu, audet Constantinum Pogonatum bellô proinfestare. Urbem vallat Constantiopolitanam, quam etiam dubio procul occupâsset, nisi Urbis Patrona

na pridem electa Sanctissima Virgo  
renovatis iterum votis in Urbis  
tutelam sollicitata, ita pro Constan-  
tino stetisset, ut plurima Saraceno-  
rum pars Christianorum ferro acci-  
sa ceciderit. *Theophanes in Anna-*  
*Felix tali Gubernatrice Civitas*  
*S. Maria, &c. Pag. 61.*

17. Restauratis anno subsequen-  
te viribus, & recrudescentibus Chri-  
stiani nominis odiis, Saraceni ite-  
rum Constantinopoli expugnanda  
se se accinxere, sed, ut Theophanis  
verbis utar, *experimento didicerunt*  
*quod DEUS, & S. MARIA hanc Ur-*  
*bem muniverint.* Primùm fame la-  
borare, dein contagione consumi-  
demum à Bulgaris viginti suorum  
millia cœdi dum viderent, temer-  
itatem suam cœperunt accusare.  
*Venerab. Beda.* In cœlum nititur, qui  
pugnat in eos, pro quibus stat MA-  
RIA. S. Maria, &c. Pag. 61.

18. Occupatâ à Mauris Hispa-  
niâ

niâ Anno 714. Pelagius Primus Rex eorum se furori subtracturus, in Aussenæ montis speluncam cum Christianis fugit, totum se D. Virginis patrocinio & tutelæ confidens. Insequuntur fugientem Mahometani, sagittis impetunt latitantem, sed hæ in authorum caput reversæ, non paucos occidebant. Ergo turbatis hostium ordinibus, Pelagius cum Christianorum comitiva erumpit, & 20000. Maurorum ferro immolat. Rodericus. Vis securitatem ab hostibus? Pelagium æmulare. Sancta Maria, &c. Pag. 61.

19. Cædi huic ope DEIparæ fatae supererant sexaginta Maurorum millia, contra quos tamdiu Beatisimæ Virginis auxilium ardentissimis precibus Hispani postulârunt, donec Diva eos omnes debellandos sibi sumeret: partem quippe eorum in agro Libanensi prædabundos, vicini montis ruina (quid ma-

gis inexpectatum?) oppressit; partem verò residuam flumen hausit.  
*Lucas Tudensis.* Omnia subserviunt fideli servo MARIÆ. S. Maria, &c.  
Pag. 61.

20. Ad Chiculum Urbem, 80. qui arcis præsidio erant Lusitani, ab Hamaluco Ethnicorum militum 70. millibus superbo, die BB. Apostolis sacro provocati, tantam eorum cœdem edidere, vix ut media tantæ multitudinis pars evaserit. Cœli Reginam interfuisse prælio, prodigia confirmant, quibus Lusitani victoriam sunt adepti: accumulatis enim retrò in aggerem undis, refluxum mare per tres horas accessum sustinuit, nè sicci littoris oram Barbaris nudaret. Ad hæc omnes hostium machinas repentinus extinxit imber, quin & nostrorum aciem præcedere, & respectans ad prælium hortari visa est DEI para. *Idem.* Vere MARIA omnibus misericordiæ si-

num aperit, ut de plenitudine ejus accipient universi. S. Bern. Serm. I.  
de Ass. S. Maria, &c. Pag. 61.

21. Orientis sceptrum moderante Leone Isaurico, ne cum Iconoclastâ, jam biennio Constantinopolis à Saracenis arcta Anno 718. gemebat, & quia partim fame, partim contagione, partim hostili ferro consumpta trecenta hominum millia, ea in obsidione desiderata fuerunt. Semper in pejus ruebat Urbis obsessæ status, donec piam Cœlum mœrentibus cogitationem indidit, ut DEI Parentis imaginem supplici ritu per Urbem circumferrent. Factum, & illico Saraceni panico terrore perciti, quasi lymphati, nemine, qui videretur, persequente, diffugiunt. Paul. Diac. & Cedren. Plures expirassent, nisi respirassent in MARIA. S. Maria, &c. Pag. 61.

22. Duæ adhuc Turcarum clas-  
ses,

ses ( in quibus tria millia navium erant ) cædi dictæ superstites navigabant, & curas timore plenas Constantinopolitanis augebant. Quare cives omni affectu contentionē DEI param invocant, ut cujus ope recenter exempti essent periculo, eadem Barbaras Mahometanorum naves fluctibus mergeret ? Audit Diva preces, & concitatâ repente tempestate ignib[us]que cœlo cadentibus juxta Proconnesum, eæ in Ægeo partim mersæ, partim captæ, ut vix quinque salvæ effugerint. *Vincent. Beluacens.* Optimè suæ velificatur felicitati, cui favor aspirat MARIÆ. S. Maria, &c. Pag. 61.

23. Ut contra ducenta Mahometanorum millia Felix conficeret bellum Alphonsus Hispaniarum Rex, alia sequi signa renuit, quam in quibus Divæ Genitricis icon fuisset effigia; cujus ductu innumera illa Barbarorum multitudo, quæ hactenus

nus Hispanorum conatibus superiore obstiterat, partim cæsa, partim fugata non ingloriam Hispanis laurum cessit. *Rodericus Ximen. lib. 2. de rebus Hisp.* Sub Virginis labaro stipendiaria servit fortuna. S. MARIA, &c. Pag. 61.

24. Umarus Arabum Princeps Catholicus ab Anascapho Muselmano saepius vexatus; dire iterum Anno 723. impugnabatur. Ille ut facilius hostes vinceret, dupli telo pugnandum ratus, praeter arma suorum, foederatum sibi cœlum esse promeruit: ope namque DEI, & DEI paræ Saracenos ita debellavit, ut de resumendis armis omnem illis spem ademerit. *Baron. tom. 9. Annal.* Nemo timeat, hæc est turris fortissima, mille clypei pendent ex ea. S. Maria, &c. Pag. 61.

25. Gregorius Secundus Pontifex Maximus, Carolo Martello viro strenuo, & bellatori fortissimo ima-

gines Christi ac Sanctæ MARIAE circa Annum 726. transmisit, munimentum contra hostem futuras. Nec suâ Carolum expectatione MARIA fecellit, cui plurimas non uno Anno de Saracenis victorias concessit, an fecit? Posteris etiam Caroli aditum ad Imperatoriam dignitatem stravit. *Vide ex Baronio Dauroultium.* MARIA nempe est, per quam Reges regnant, & Principes imperant. S. Maria, &c. *Pag. 61.*

26. Iterum illa Orientalis Imperii Roma Constantinopolis ab Agalliano Helladiorum Turmarcha obsidetur Anno 727. eo fortè cœli consiliō, ut Virginis sanctissimæ in Urbem hanc affectus Orbi clariū innotesceret: nam & nunc ejus ope Urbs mansit incolumis; insuper quidam ex Ducibus, qui statuam Beatissimæ Virginis conspectam lapide petierat, in assultu contra mœnia tentato, primus occubuisse, pœnásque

násque tanti sceleris dedisse est notatus. *Andreas Coppenstein, lib. 2. c. 8.* Quoties vel inquiritur, toties succurritur à MARIA. S. Maria, &c.

Pag. 61.

27. Ad Andream Basiliī Imperatoris Belliducem, literas, blasphemias in Christum, ejusque Matrem plenissimas, arrogans Saracenorum Tyrannus expediverat Anno 886. Horum ulturus honorem Basilius, Andream expedit, qui impiō literarum fasciculō ad aras Immaculatæ Virginis appensō, ita questus erat: *Vide, ô Mater DEI, qualia exprobravit, & superbè dixit arrogans iste Barbarus;* simul animis sumptis, & spe victoriæ conceptâ, contra Saracenos movit, nec rediit, donec totum Saracenorum agmen penitus profligaverit. *Cedren. apud Zonar. tomo 3.* Vivere non est dignus, quisquis vitæ Matrem non diligit. S. Maria, &c.

Pag. 61.

28. Solennem Joannes Zimisces de Russis, Turcis, Bulgaris, aliisque Barbaris, quorum summa ad trecentorum triginta millium numerum excurrebat, victoriam obtinuit: qui, ut se opitulante Virginis auxilio viciisse palam faceret, currui quadrijugo, triumphanti sibi destinato, iconem MARIAE Auxiliatrixis impositam, & spoliis ornatam, per Urbem jussit circumferri. Cui imaginis postea Nicopeiae, id est, Victoriosae nomen fuit. *Atlas Marian.* lib. 2. imag. 4. Beatos nos! quibus in afflictionibus nunquam deest, quod speremus. S. Maria, &c. Pag. 61.


29. Rex Angliae Anno 1593. Lusitanis bellum sanè terrificum obtulerat; exercitum quippe, qui duodecies centenis hominum millibus constabat, contra modicum trecentorum Lusitanorum manipulum eduxit, delendum sine dubio funditus, nisi Paulum Diaz Ducem ad invocan-

vocandam DEIparæ opem , cajus Purificationis dies agebatur , P. Balthasar Barreyra Soc. JESU commonefaciens , victoriam reportandam prædixisset. Datum hâc spe initium prælio , & Patre pro Lusitanis ad DEIparam orante , panicus hostes terror in fugam convertit. Sic vîtores Lusitani DEIparam primùm Auxiliatricem venerati , Patrem Barreyram , velut Moysen alterum , honorârunt . *Balthasar Tellez l. 2. Chron. Lusit. lib. 6.* Non potest MARIA se invocantem scire , & non subvenire . S. Maria , &c. Pag. 61.

30. Anno 778. Carolus Magnus Saracenis Navarram eripit : néve posteri dubitarent id ope MARIÆ factum , pro perpetuæ suæ in Virginem gratitudinis memoria , Aquigrani , & Campidoniacæ (præter diem suprà Budensem ) amplissimas Basilicas erigit . *Vide Paul. Æmilium.* Quamdiu sunt , qui non cessant ora-

re, tamdiu non cessat MARIA exaudire. S. Maria, &c. Pag. 61.

31. In paucis elegans, juxta Ovetum, olim templum Sanctissimæ DEI Parentis honoribus sacrum florebat, quod Ramirus Rex Mariano honori addictissimus, ex opulentis hostium spoliis & manubiis ædificavit Anno 923. nempe dum sexaginta Maurorum millia non sine miraculo, & præsenti DEI Parentis ope prostraverat. Roder. Pone me juxta te, ô Domina, & cujusvis manus pugnet contra me. S. Maria, &c. Pag. 61.



## MAJUS.

I. Post Annum 828. Ordoricus Rex Mauros atroci prælio fudit; neque pius Rex dissimulavit, cujus ope Legionense Regnum defendisset: etenim ut se gratum exhibe-

hiberet , in Urbe Regia perpetuum pietatis suæ in Patronam suam , & Marianæ protectionis in Legionenses monumentum posuit , Basilicam Magnæ Matris cultui dicatam ædificando , quam à septendecim Episcopis consecrari jussit . *Mariana l. 7. c. 16.* Matri gratiarum quidni gratiæ debentur ?

S. Maria tot ab orbe condito gratiarum Mater , Divinissimæ Triadi ter grata ; grata Patris Filia , grata Mater Filii , grata Spiritus S. Sponsa , unam à te in præsenti supplicamus gratiam , glorio- sarum de hostibus victoriarum , pro quibus tibi Neo-gratiarum Matri unanimi grati affectus voce vetus illud possimus accinere : Tu gloria Jerusalem , tu lætitia Israël , tu honorificentia populi Christiani .

Nota : *Hæc clausula quotidie repetitur.*

2. Saraceni eò conatus omnes diri-

dirigebant Anno 1010. uti Bethlemiticam Beatissimæ DEI Matris venerationi constructam ædem diruerent, rati, magnæ id in Christianos vindictæ loco futurum ; aggrediuntur scelestum opus , & ecce tanta, tamque sæva lux de Cœlo fulgurans eos oppressit, ut ingens Barbarorum multitudo corruens expiraverit, intactâ interim Beatissimæ Virginis æde remanente. *Chron. Audomari tomo 2.* Inultas non sinit Matris suæ Numen injurias. S. Maria, &c. *Pag. 83.*

3. Turci captâ Hierosolymâ tam felici rerum suarum successu elatiores Europæ iminebant Anno 1061. Ludovicus XI. Galliæ Rex ut DEI paræ patrociniô Respublica Christiana maneret inconcussa, edixit, ut quotidie sub meridiem campanæ pulsu populus ad Virginem contra Turcas invocandam evocaretur. DEI para tam religiosè toties saluta-

ta, mox Turcas non unâ clade attritos, ab Europa jussit abstinere. *Genibrard. lib. 4. Chron.* Sustineátne quispiam pium hunc usum venire in abusum? *S. Maria, &c. Pag. 83.*

4. Ildephonsus Rex, Toletum Hispaniæ caput à Mauris fædissimè profanatum ingenti animo est aggressus, & ut pari felicitate consummaretur opus, *S. MARIÆ* merita apud DEUM interponit: his precibus arma felicitantibus effecit, ut multis Maurorum millibus cæsis, Urbem tandem eorum manibus extortam pristinæ libertati restituerit. *Hispania Illustrata.* Si quæ, Matris DEI profectò omnipotens est precatio. *S. Maria, &c. Pag. 83.*

5. Antiochiam Urbem feliciter Christiani Turcis eripuerant; sed redintegratis hi viribus, & validiore triginta millium probè armatorum exercitu coacto recuperare laborabant 1098. Anno. Nec extra discrimen

men res urbis erat, plūs intus fame,  
quām foris hoste obfessos premente.  
Civium nomine votum ad intemeratam Virginem de Carmelo S. Bertholdus concipit, & junctis unā viribus in hostem erumpunt, extremum conatum tentaturi, qui adeò feliciter cessit, ut hostibus superiores facti, eos procul muris arcuerint.

*Paleonidor. lib. 2. cap. 10.* Tantūm prodest Marianō se votō vincire, ad hostes vincendos. S. Maria, &c.

*Pag. 83.*

6. Concilium Claromontense, decreta in Palæstinam expeditione, Christianis injunxit, ut pro secundo ejus successu omni Sabbatho Officium Beatissimæ Virginis recitarent, ut eo patrocinium tantæ Reginæ toti Christianitati demererentur. Nec difficilis Virgo fuit, precibus annuit: nam Anno 1099. 15. Julii Dux Bullionius non unō præliō Turcas fregit, ac Hierosolymam cepit,

pit, unde & Rex Hierosolymitanus dici, & esse promeruit. *Franc. Bellafort.* Fortunas suas extra fortunam ponit, qui confidit in MARIA. S. Maria, &c. *Pag. 83.*

7. Eadem expeditione in terram sanctam suscepta, eadēmque Virginis Matris ope Christianorum rebus succurrente factum est, ut centum Saracenorum millia ad Ascalonem congregata, & insanâ plane barbarie in Christianos, si hi vincerentur, sævitura, triplò inferior nostrorum numerus non dissipaverit modò, sed cœciderit. *Sigebert. in Chronicis.* In paucis, vel in pluribus auxiliari, perinde est MARIÆ. S. Maria, &c. *Pag. 83.*

8. Capto Rege Hierosolymorum Balduino, quadraginta Saracenum millia, exiguum Christianorum manipulum ( tribus millibus non plures erant ) cinxere Anno 1124. Et quis hic congredi præsumpsisset?

Ausus

Ausus est Cluniacensis Abbas, non suis, quod temerarium fuisset, sed DEI, & DEIparæ viribus fretus; hastam, quâ latus Christi confossum erat, & lac DEIparæ in pixide populo præfert contra Barbaros pugnaturo ( DEI virtutem extolle lector! ) insana illa Turcarum multitudo ita confusa est, ut etiam à fœminis, & pueris capi, cœdique ex iis possent plurimi. *Supplm. Chron. Sigebert.* Prodigium! lacte Virgineo hostilis cruor funditur. S. Maria, &c. *Pag. 83.*

9. Cum Christiani Duce Ildephonso Rege Cæsar-Augustam Turcis eripiendam suscepissent, ecce tibi! in medio oppugnationis æstu super Christianorum, hostibus fortiter resistentium, turbam, sublimis Regina Angelorum comparere dignata, eos ad strenuè agendum hortatur, & ita adjuvat, ut Urbs Saracenorum erepta jugo, vi sit recepta

Anno

Anno 1115. *Diploma Adriani Pont.*  
Humano deficiente Marianum sup-  
petit auxilium. Sancta Maria, &c.

Pag. 83.

10. Necdum bina annorum de-  
cas effluxerat, cum redintegratis au-  
sibus ereptam sibi recipere Cæsar-  
Augustam, & inustum Saraceno no-  
mini dedecus vindicare Barbari sta-  
tuerunt. Jam florentissimam Ur-  
bem totis nixi viribus oppugnabant,  
& quod terrorem incutiebat Chri-  
stianis, muros magnâ parte dirue-  
rant. Rebus ita probè desperatis,  
Sanctissima Virgo Angelis comitata  
palam Saracenis se objicit, eosque  
è muro repulso, spe quoque poti-  
undæ Urbis dejecit Anno 1134.  
quæ dignatio! quæ miseratio! *Hie-  
ronym. Blanca in Comment.* In despe-  
ratis spes certa est MARIA. S. Ma-  
ria, &c. Pag. 83.

11. Rex Jerosolymitanus ut la-  
tiùs Christi Regnum propagaret, re-  
liquis

liquis in terra Sancta ditionibus  
 Turcarum potestati ereptis, Asca-  
 lonem etiam annumerare laborabat;  
 Militem dicit, Urbem cingit, oppu-  
 gnat, sed infausto primùm eventu;  
 insultu quippe contra muros tenta-  
 to, multis Christianorum cæsis.  
 Barbari infolescere, & magis in con-  
 temptos jam sævire audebant, do-  
 nec collectis iterum animis, vota  
 unanimi consensu concipiunt, DEI-  
 param invocant, sicque felicissimo  
 successu cœptum opus coronârunt.

*Diar. Nicol. Reusn.* Omnes tibi ad-  
 volvimur, omnes te imploramus.  
 Erue nos, ô Intemerata! ab omni  
 necessitate. *S. Ephr.* *S. Maria,* &c.

*Pag. 83.*

12. Memorabilem contra Sal-  
 dinum palmam Annus 1191. dedit  
 Christianis. Nam cum his ingenti  
 superbis comitatu Barbarus obvia-  
 ret ipsâ Natæ Virginis Vigiliâ (quæ  
 & Sabbathi dies erat) in Augusta

Cœ-

Cœlorum Imperatrice totam belli spem ponentes Christiani Saladinum excipiunt, & licet inferiores numerò essent, tantam in nobilio-ribus maximè cæsis Saladino cladem intulerunt, quantam à quadraginta retrò annis passus non fuerat. *Guilielm. Neutrius lib. 4. rerum Anglicarum cap. 23.* Libera nos, quæsumus Domine, ab omni malo præfente ac futuro, intercessionibus Immaculatæ & Gloriosæ DEIparæ sempérque Virginis MARIÆ. *S. Petrus Apost. in sua litur.* S. Maria, &c. *Pag. 83.*

13. Sub DEIparæ Virginis auspiciis institutus est anno 1192. novus ordo Militum Teutonicorum contra Saracenos: qui Hospitalariis, ac Templariis additus, quod se totum Beatæ Virgini devovisset, luculentas non semel victorias de Turcis retulit. Neque id mirum: nunquam enim cum hostibus congregundi-

untur, nisi priùs Augustam Cœli Imperatricem precibus fusis, propitiam sibi reddiderint. *Vitria. in Hist. Occid. cap. 66.* Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo, intercede Sacra, & Domina, & Regina, & Mater DEI pro nobis. *S. Athanas. Serm. de Sanctiss. DEI para.* S. Maria, &c. *Pag. 83.*

14. Acerrima quartum jam insæculum cum Ottomanigenis bella gerit Hungaria ( quibus etiamnum misere conflictatur ) primis florentis Marianæ pietatis temporibus Hungari ferè semper vincebant, quia Milites Magnæ Dominæ dicebantur, cuius etiam coronam, seu Rosarium gladii manubrio , quâ cruce dexteram defendit , alligabant. Nunc à quo hæresum facta est receptaculum , refrigercente Marianæ pietatis ardore , tepescere cœpere victoriæ , hostiūmque vires invalescere. *Joan. Nadasi in orat. Angel. c. 30.*

n. 182. Heu pietas! heu prisca fides. S. Maria, &c. Pag. 83.

15. Illustrissimam contra Mauros victoriam Alphonso hujus nominis VIII. Castellæ Regi, per Genitricis suæ merita, concessit DEUS: dum enim Mauri immenso glomerati exercitu ultimam Christianis cladem illaturi, Granatense regnum inundâssent, militem suum Sacramentis priùs ritè munitum, ad certamen hortatur Alphonsus, & ei vexillum DEI parentis conspicuum præfert, quô visô tantus Mauros terror invasit, ut plusquam ducenta Barbarorum millia periisse perhibeantur, è Christianorum numero summum triginta morte sublatis. 1212. Rībad. 15. Jul. Commemorationem agamus Sanctissimæ, Immaculatæ, Gloriosissimæ, Benedictæ Dominæ nostræ, Matris DEI & semper Virginis MARIÆ, ut precibus, & intercessionibus ejus omnes misericordi-

am consequamur. S. Jacob. liturg. ;  
S. Maria, &c. Pag. 83.

16. Jacobus primus Arragonia  
Prorex à celebribus victoriis Expul-  
gnator dictus, mirè MARIÆ affici-  
ebatur, & se ipso Purificationis B.V.  
die ineunte natum, & sacro baptis-  
mate regeneratum esse gratulaba-  
tur. Hujus Patronæ suæ venerati-  
one non unam contra Mauros, &  
maximè celebrem Anno 1215. per  
votum MARIÆ nuncupatum, vi-  
ctoriam retulit. *Gasper Ep. in Chron.*  
*Ave gratiâ plena, Dominus tecum,*  
qui propter te ô MARIA ! magnam  
erga nos misericordiam declarat.  
*Serg. Hiero. serm. de laudibus Virgin.*  
S. Maria, &c. Pag. 83.

17. Anno 1218. prædicto Regi  
Arragoniæ nominis hostes paranti,  
& opem è cœlo supplicanti DEI para-  
comparuit, laudavitque studium,  
quo Mauros debellabat. Quâ mo-  
nitrice quantum exarserit in tam sa-  
crum

crum bellum, quámque certus de victoria exercitum duxerit, quis satis explicet? Experti dicant Mauri, quos toties bello domuit. *Annal.*

*Arrag.* Non frustra ait Divus Ambrosius: Et ut efficax mea maneat deprecation, B. MARIÆ Virginis suffragia peto. *Sancta Maria, &c.*

Pag. 83.

18. Idem magnâ militum armorûmque potentîâ Valentînum invasit Regnum Anno 1235. plûs tamen ut semper aliâs, ita etiam nunc in tutela Virginis, quám in armorum præsidio spei locatum habuit. Nec spes irrita cecidit: Regnum namque feliciter Mahometanis eripuit. *Fran.*  
*Boyl. in Hist. Del. Puech. cap. lib. 17.*  
 Spes quandóque fallit, sed non quæ sita est in Matre spei MARIA. *Sancta Maria, &c.* Pag. 83.

19. Necdum cessat pro Jacobo pugnare DEIpara, quia nec Jacobus Rex gloriosus novis cam demereri

pietatis officiis cessat. Hujus Dominæ suæ fretus ope iterum in Mauros insurgit, Valentiam civitatem obsidet, capit, & claves Urbis oblatas rectâ ad Sanctissimæ Virginis templum de podio dictum transmisit, ut orbis sciret cujus auxiliô Urbis hujus portas reserasset. *Idem ibid.* Pro modicis sibi præstitis obsequiis, innumeris munificam se exhibet Mater D E I gratiis. S. Maria, &c. *Pag. 83.*

20. Novis contra Mauros victoriis novos semper stimulus accipiebat Jacobus Arragoniæ Rex, eoque arma tulerat victoria, ut tria Mauris regna eripuerit. Tot conflixit vicibus, tot reportavit ab hoste triumphos, ut, cum ante singula prælia B. V. templum vovisset, vota exoluturus probè bis mille Ecclesias, honori ejus fundaverit; & demum pro laborum suorum coronide sacrum Redemptionis captivorum Ordinem

dinem instituit. *Hier. Blanca in Commen. rer. Arrag.* Ipsa est quæ diligit, & servientibus sibi servit. *Idiot. in prologo Contempl. B. V.* Sancta Maria, &c. Pag. 83.

21. Alphonso Arragoniæ Regi Alphonsum octavum hujus nominis Castellæ Regem, id est victori victorem, uni Mariani cultûs Zelatori secundum adjungo. Paribus hic ac alter armis pugnare solitus, Valeriam Urbem (quam Cuencam vernacula lingua Hispani dicunt) adoritur, & Sanctissimæ Matris patrocinio expugnat An. 1215. Gratam hujus beneficii memoriam in splendido odæo, Marianæ venerationi erecto, posteris celebrandam relinquit. *Manriq. tom. 3. Ann. Cister.* Sileat misericordiam tuam B. V. si quis est, qui invocatam te in necessitatibus sibi meminerit defuisse. *S. Bern. Serm. 4. de Assumpt.* S. Maria, &c. Pag. 83.

22. Honorii Pontificis hortatu  
expeditionem in terram sacram su-  
sccepere Christiani An. 1219. Cujus  
belli Imperator omnium votō ele-  
ctus fuerat Andreas secundus Rex  
Ungariæ , hinc Hierosolymitanus  
dictus, qui bellī successu DEO, ejūs-  
que Matri commendato, Damiatam  
Urbem contra septuaginta Turca-  
rum defendantium millia cingit, ac  
post acrem 22. mensium obsidionem  
expugnat: ubi ut victici MARIAE  
perpetuum statueret trophæum, Ba-  
silicam Mahometo priùs erectam,  
columnis marmoreis insignem ejus  
honoribus dicat, consecrátque. Sig.

*Ferr. p. 1. cap. 2.* Tu Mater pupillo-  
rum tuorum, audi ejulatum filiorum  
tuorum, & extende alas tuas, ut ful-  
giamus sub eas à facie inimici. S.

*Aug. Solil. cap. 12.* S. Maria, &c.  
Pag. 83.

23. Militibus Hospitalariis è Syria  
ejectis, post strenuam biennii dimi-  
cati-

uationem cum Turcis initam, occupata feliciter tandem Anno 1310. est Insula Rhodus. Beneficium hoc pii clientes magnæ suæ Dominæ intercessioni adscripserunt, eō vel maximè argumentō, quod Insulæ dīctæ occupatio in gloriosæ ejusdem Assumptionis diem inciderit. Mutato Hospitaliorum nomine, ab Insula capta Milites Rhodiani dici cœperunt. *Spondanus.* Ad omnem tribulationem, ad omnem cujuscunque necessitatem aperta est nobis Urbs refugii, sinus Matris est expansus. *S. Bern. Seror. 8. in Psal. Qui habitat.* *S. Maria, &c. Pag. 83.*

24. Templum est intemeratae Virginis aliquot millibus passuum extra Messinam situm, cui accolæ nomen *de Quardia*, sive tutela, dedere. Nam, cùm locus ille ad littus maris perpetuis Turcarum incursibus sit expositus, sæpissimè præscens hujus auxilium sunt experti; ut,

quæ quandoque Turcas jam excensionem paraturos terrere , aliàs integratos exercitus sine ullo habitatorum damno, repellere sit conspecta. Quorum illi beneficiorum memor res DEIparam , quo possunt cultu, honorant. *Placid. Samperius l. 5. c. 6.* Filioli , hæc mea maxima fiducia. *S. Bern. S. Maria, &c. Pag. 83.*

25. Humanis viribus majorem contra Mauros victoriam obtinuere duo Alphonsi, unus Castellæ, alter Lusitaniæ Rege fœderati, dum suorum non amplius viginti interfectis, ducenta Barbarorum hostium millia interemerunt, præter ingentem captorum numerum servituti additum. Res hæc propè fidem excederet, nisi victoriam ope Virginis, quæ potens est, factam esse Historicí annotâssent. *Spondan. ad ann. 1340.* MARIA vera, unicáque Filii imitatrix, ex quo ascendit in cœlum, dat & ipsa dona hominibus. *Regina Cœ-*

Cœlorum est, misericors est. Rich.  
*à S. Laur. l. 4. de Laud. B. Virg.* San-  
 cta Maria, &c. Pag. 83.

26. Alphonsus Rex Castellæ, co-  
 gnomento Sapiens, Murciam contra  
 Mauros oppugnatam ad deditio-  
 nem coëgit Anno 1266. néve sibi  
 victoriam adscribere velle videre-  
 tur, Sanctissimæ Angelorum Reginæ  
 magnificum ea in Urbe templum ar-  
 chitectatus est, ut cuius potissimum  
 adjutus robore Murciam subjuga-  
 vit, ejus trophæum conspiceretur  
 ab universis. *Spinell. tr. de exempl. n.*

63. Per MARIAM speramus nos  
 posse consequi, quidquid totius bo-  
 nitatis Author dignatus fuerit no-  
 bis gratiæ impertiri. *S. Bern. Serm.*  
*de Salve Reg.* S. Maria, &c. P. 83.

27. Algeziram urbem, ad fretum  
 Gaditanum sitam, armatâ manu  
 potestati Mahometanorum extorsit  
 Anno 1344. dictus Rex Castellæ;  
 dumque opima inter milites spolia

dividit, prima fortissimæ Christianorum propugnatri ci cessere. Fanum enim Mahometanâ hactenus superstitione sordidum, novo cultu ornatum DEIparæ adscripsit nomini, templum *S. MARIAE de palma* dictum, ut omnes scirent, ubi contra hostes palmæ essent decerpendæ. *Bzovius hoc Anno n. 5.* Affectu compatiendi & subveniendi abundat MARIA, affectu invocantibus eam subvenit universis. *S. Bern. Serm. de verb. Apoc. S. Maria, &c. Pag. 83.*

28. Octuaginta millibus Turcarum repente circumventus Ludovicus I. Rex Ungariæ; victoriam sperare non ausus, parvâ 20. millionem manu hostibus occurrere dum formidat, DEIpara sc ei per somnum spectabilem præbet, ac iconem, quam Rex secum ubique ferre consueverat, dormientis pectori imponens, cum hostibus manus & signa conserere jubet. Rex evigilat,

Vir-

Virginis Cellensis imaginem super pectus reperit, somnium exercitui pandit; qui hoc auditō, nimium quantum, recreatus eas concepit cum animis vires, ut imagine illā castris illatā, ingentem Barbarorum multitudinem feliciter profligaverit. Hujus belli testimonium sanè præclarum stat hodie dum celeberrima illa Cellensis DEIparæ in Styria Basilica, quam Ludovicus I. hic erexit, Regiis donis locupletatam An. 1363. *Christ. Fischer in hist. Cell.* Sic clientes Virginis somniant. S. Maria, &c. Pag. 83.

29. Urbem Truxillo, quæ Latinè Turris Julia dicitur, Mahometani possidebant, armis Christianorum semper irrito conatu elusis, donec Anno 1200. DEIpara militibus quibusdam visibilis facta, aggredi Urbem hortata, aptum expugnationi locum designat. Animati tanto MARIÆ favore duo militarium or-

dinum Magistri, Urbem tentant, & expugnant. P. Ferdin. hist. Placent. lib. 1. cap. 9. Omnia necessitates amplissimo quodam miseretur affectu. S. Bern. S. Maria, &c. Pag. 83.

30. Memorabilem Anno 1443. Turcis cladem intulit Uladislaus Rex Hungariæ, in qua triginta milia Turcarum cecidere. Quâ victoriâ Rex lætus, in Patriam redux ingenti suorum plausu obvio exceptus, priusquam Regiam Budæ adiret, voti ante prælium concepti reus, nudis pedibus Ecclesiam B. V. petiit, ibique erepta hostibus signa suspendit; totâ interim Hungariâ Marianas laudes triumphali pompâ undequaque resonante. Bonf. & Spond. Benedixit te Dominus in virtute sua; quia per te ad nihilum rededit inimicos nostros. Judith 13. S. Maria, &c. Pag. 83.

31. Corduba Maurorum pressa imperio, DEI param invocatam visibilcm

bilem habuit; submotóque, qui hominem corripuerat, primo terrore. Erige, inquit, animum, brevi efficiam, ut Corduba caput erigat, Maurorumque jugum excutiat. Dictum, factum. Anno enim 1236. Ferdinandus, Hispanis Sanctus, Mauris eam eripuit. P. Franc. Bernar. Quid non possit cœli Regina? S. Maria, &c. P. 83.



## JUNIUS.

I. **M**aussegatus Rex, libertatem Hispaniæ, annuō ducentarum Virginum Mahometanis tradendarum tributō turpiter redemefat; quo Regnum liberaturus Alphonsus Hisp. Monarcha, ope DEI paræ suppliciter invocatâ, 70. millibus Arabum uno prælio fusis, turpia pæcta convulsit. Nova B. V. speciali Hispanorum Patronæ templo vel crexit, vel dotavit. Locrius l. 1. c. 13.

Te, ô Virgo, universus mundus habet coīmune propitiatorium. *Andr. Cret. serm. de Assumpt.*

S. MARIA , Liberatrix eorum, qui in necessitate versantur, à DEO constituta , (a) aspice immani servitutis Turcicæ jugò innumeram Christianorum multitudinem misere oppressam , & libera eos de manibus crudelium inimicorum, hostilia confundendo , Christiana prosperando arma præsentia , ut omnis agnoscat, quia verè es Liberatrix nostra, ab omni nos liberans tribulatione, & confundens omnes inimicos nostros. (b)

Nota : *Hæc clausula repetitur quotidie hoc Mense.*

2. Anno 1482. cœpit bellum Granatense. Ferdinandus & Isabella Reges Catholici totos novem annos contra Mauros depugnârunt ; quorum annorum decursu sæpiùs ope DEI, ac Matris ejus pulcherri- mas

(a) *S. Joan. Damasc.* (b) *Idem.*

mas ex hoste victorias reportârunt,  
donec Granatam ipsam 1492. armo-  
rum vi suas redire in partes coëge-  
runt. *Anton. Nebriss.* MARIA velo-  
cior est cæteris sanctis, omnibus mi-  
seriis subveniendo. *Rich. à S. Laur.*  
*lib. 2. de Laud. B. Virginis.* Sancta  
Maria, &c. *Pag. 106.*

3. Visitur elegans argentô fa-  
etum, pietatis in MARIAM simula-  
chrum Laureti ; quod Anno 1489.  
Stephanus Báthori Transylvaniæ  
Princeps gratitudinis suæ monu-  
mentum eò transmisit, quòd per in-  
tercessionem gloriosæ DEI Matris,  
inter quotidianos propè Turcarum  
assultus, & manifesta Urbium, diti-  
onisque suæ pericula, & hæc, & ipse  
salvus & incolumis manserit. *Tursell.*  
*in Hist. Laur. l. 2. c. 6.* Videns no-  
stram miseriam MARIA, festinat ad  
impendendam suam misericordiam.  
*S. Bern. in spec. B. V.* S. Maria, &c.  
*Pag. 106.*

4. Captâ Constantinopoli Ma-  
hometus Secundus Turcarum Im-  
perator, Italiæ bellum movebat An-  
no 1453. cessissétque designatæ præ-  
dæ Domus Lauretana , nisi suam  
ipsa Dōmum DEIpara sic tutari vo-  
luisset, ut & classem Turcicam Chri-  
stianis expugnandam objiceret, &  
Hungaricis , Persicisque cladibus  
fractum Tyrannum ab incepto re-  
vocaret *Tursell. lib. 1. cap. 25.* In  
omni periculo potes habere salutem  
à Virgine glorioſa. *S. Thom. opusc. 8.*  
*Sancta Maria, &c. Pag. 106.*

5. Sultanus secundus itidem  
Turcarum Imperator, DEI Christia-  
norum scelera plectentis permisso,  
Hydruntum per suos cepit 1480.  
Quâ victoriâ elati, ferociores jam  
Barbari, ad diripiendos Lauretanæ  
Domus thesauros furibundi per-  
gunt : sed vix ad primum Sanctæ  
Domûs conspectum venere , cùm  
illicò positis animis tremere, & invi-  
sibili

sibili quâdam vi repellî cœperunt; paulóque pòst insequentibus Christianis, Italiâ depulsi sunt, & Sultanus diem supremum vidi. *Idem l. 2. c. 4.* Nihil tuæ, ô Virgo, resistit potentiæ. *B. Georg. Nicomed. Orat. de præsent.* *B. Virg.* Sancta Maria, &c.

Pag. 106.

6. Sub Annū Domini 1517. Selimus primus Ægyptō armis suis domitâ, validam classem expedivit, quæ Recineto capto, per Lauretanorum campos grassabatur, thesau-ris Sacro-Sanctæ Domûs inhians: sed horrifico terrore à DEIpara immissô, trepidare primò, mox occulta vi retrò, unde venerat, rejici se sentiens, admirandam DEIparæ dexteram formidare didicit. *Idem in Hist. Inur. lib. 2. cap. 19.* Non nobis alia est, quàm in te, ô Virgo, fiducia. *S. Ephrem. Syrus.* S. Maria, &c.

Pag. 106.

7. Annō recens nominatō, duæ trire-

triremes Turcicæ ausæ sunt prædas ex agro Lusitano agere ; illicò tamen Sanctissimam DEI Genitricem suorum clientum vindicem— sunt expertæ : eodem namque die à Christianis victi , capti , ac laqueo suspensi , temeritatis pœnas dede- runt , & DEIparæ clientes damna sua , prædis receptis , restaurârunt . *Idem ibid.* Quæramus gratiam per MARIAM ; quia qui quærit invenit , & frustrari non potest . *S. Bern.* S. Maria , &c. Pag. 106.

8. Stupete Garziæ factum poste- ri ! Hic Maurorum circumventus potentia , ineluctabilem moriendi necessitatem se incurrisse ratus , pri- usquam ultimum pugnaturus cum hoste congrederetur , filias suas ad templum deductas , B. V. patrocinio commendat , ut se Patre hostium præda futuro , filiarum Matrem age- re dignaretur , rogat : sed his ob Ca- stitatis ab hoste violandæ metum ,  
mor-

mortem periculo tam manifesto  
præelgentibus, Hispanus Jephæ co-  
ram imagine DEI paræ vitam eripit.  
Jam dimidiò vitæ sibi in prolibus  
ereptô, residuum facilè daturus, a-  
nimosus in prælium currit; sed res  
aliter, ac putârat evenit; non cæsus  
enim, sed victor in hostes triumpha-  
vit. Madritum redux, facti pœni-  
tens vivere filias optâset; & , mi-  
rum! dum ædes Virginis, pro vita  
conservata gratias acturus adit, vi-  
vas in templo filias reperit. *Pineda*  
*l. de Patrona Madrit.* Data est tibi,  
Ô Virgo, omnis potestas in Cœlo &  
in terra , & nihil tibi impossibile.  
*S. Petr. Damian. Serm. I. de Nativit.*  
*S. Maria, &c. Pag. 106.*

9. Trecenti Christiani durâ Tur-  
carum captivitate detenti , ac ad  
transtra damnati morte ipsâ magis  
ægram vitam trahebant ; donec fi-  
duciâ, in unicum afflitorum solati-  
um MARIAM, conjectâ, in Turcas,  
quos

quos navi vehebant, insurgentes,  
vinciti liberos, nudi armatos superâ-  
runt Anno 1590. Sic navi potestati  
suæ subjectâ, aureæ libertati sunt re-  
stituti. Quo hi affectu DEI paræ  
grates egerunt! *Ant. Baling. ad 26.*  
*Sept.* Tantum potest eximia quæ-  
dam in DEI Matrem fiducia! S. Ma-  
ria, &c. *Pag. 106.*

10. Scalatum munitissimam Ma-  
hometanorum urbem expugnaturus  
Alphonsus I. Rex Lusitaniæ, S. Ber-  
nardum tunc in vivis agentem, ut  
fusis ad DEI Matrem precibus, sup-  
petias sibi è Cœlo impetraret, ro-  
gat; Regis postulato Bernardus, &  
hujus precibus Virgo clementissi-  
ma ex æquo respondit: Alphonsus  
namque exiguâ 250. suorum manu  
Urbem obsidet, tentat, & expu-  
gnat, nullo suorum desiderato. Be-  
neficii accepti Rex memor, Divi  
Bernardi asseclis, MARIAE honoris  
studiosissimis, adeò opulentum  
fun-

fundavit Asceterium, ut 100. com-  
modè ali possent. *Chrysog. in mundo*  
*Mar. disc. 18.* Quomodo non com-  
pateretur filiis miseris Mater mis-  
ericordiæ? *Abb. Persen.* Sancta Ma-  
ria, &c. Pag. 106.

11. In Africa cum Saracenis ma-  
num conserturus Eduardus Prin-  
ceps, se in honorem DEI Parentis  
Conventum pro D. Francisci aſſe-  
clis extructurum, si victoriâ contra  
Turcas potiretur, vovet. Non surdâ  
Cœlum aure accepit petita: nam  
illis annuit; Réxque fideliter pro-  
missis stetit; insuper Monasterio  
templum adjiciens, in quo plurima  
in dies beneficia, variâ calamitate  
pressis, Virgo exhibet. *Gonz. in hift.*  
*Seraph. pag. 799.* Oratio Virginis  
simul collectæ omnium Sanctorum  
orationi prævalet. *Suar. tom. 2. D.*  
23. S. Maria, &c. Pag. 106.

12. Pelagius Corréa Magister  
Ordinis S. Jacobi, die quodam DEI-  
paræ

paræ sacro, cum montanarum Bœticarum Mahometanis confligebat; jámque Sol in occasum properans, majoris spem victoriæ secum tumulare videbatur. Sed Corréa spe plenus, velut Josue alter, ad B. V. exclamat. *Sancta MARIA! detine diem tuum.* nec priùs Sol, quàm Pelagii hostis occubuit; quóque ille longior luxit, eò pluribus hic admitt diem. In beneficij tanti memoriam templum B. V. Dux eodem in loco dedicavit. *Rada hist. Ord. S. Jacobi cap. 24.* Tuâ, ô Virgo, misericordiâ plena est terra. *Idiotæ contemp. 18.* S. Maria, &c. P. 106.

13. Sub Veremundo Rege res Hispanæ hostium violentiâ debilitate vacillabant: jam Regno Legionensi amissô, & Compostellâ excisâ in ultimum omnia discrimin prooperare videbantur. Tota in MARIA spes restabat: hanc ergo supplices Regnicolæ invocant, & Saracenos

eenos adeò gloriösè adoriuntur, ut  
70. millibus peditum, & 40. milli-  
bus equitum hostilium cæsis, Dux  
ipse Turca tantæ suorum calamitati  
supervivere potens, cibo omni ab-  
stinuerit, sicque fame vitam enecu-  
erit. *Lucas Tudens.* Quis post filium  
tuum, ô MARIA, curam gerit hu-  
mani generis, sicut tu? *S. Germ. Conf.*  
*de Zona Virg. S. Maria, &c. P. 106.*

14. Sub dicti Veremundi signis  
stipendia capiebat, avis rara, pius  
miles Ferdinandus Antolinus: hic  
ante conflictum, templum B. V. pro  
felici rei successu oratus adierat.  
Socii metuere hunc suspicati, non  
parùm commilitoni suo insulta-  
bant; sed D E U S plus precibus,  
quàm armis victoriam parari osten-  
dit, dum orantis in locum Ferdi-  
nandi Angelum substituit, qui os  
humerosque Antolino similis, eum  
se in prælio gessit, ut omnes ei vi-  
ctoriam adscripserint. *Idem.* Nun-  
quam

quam orâsse nocuit, S. Maria, &c.  
Pag. 106.

15. Celebrem inter victorias locum & illa meretur, quam Sanctius hujus nominis primus Portugalliae Rex de Turcis est assecutus. Nam ope DEI paræ imploratâ, ad Hispaniæ in Boëtia, tantam Mahometanorum multitudinem fudit, ut Boëtis fluminis, prælii theatrum alluentis, aquæ Saraceno tinctæ sanguine rubuerint. *Vasconcell.* MARIA turris est, ex qua mille clypei, id est, mille remedia pendent. *S. Thom. opusc. 8.* S. Maria, &c. Pag. 106.

16. Juvit Emmanuelem Portugalliae Regem ad felicem indepti Regni gubernationem, quæ ad omnia utilis est, pietas in MARIAM; quam in expeditionum suarum tutarem jam ab inito Regni gubernio elegerat. Expedivit is Joannem Menesium Ducem adversùs Saracenos, justa tributa pendere re-

nuen-

nuentes, pugnaturum. Ivit hic, & invocatō MARIÆ subsidiō, rebelles ita coērcuit, ut magnā hostium strage editā, & divite prædā collectā, ditior patriam repetiverit. *Oforius in vita Emman.* Quia Dominus potentissimus, ô MARIA, tecum est, ideo & tu potentissima es. *S. Bonav. in specul. lect. 8.* Sancta Maria, &c. Pag. 106.

17. Regno Hispano continuis bellorum motibus fesso, res parūm prospere succedebant. Malo mendaci allatura Regina ( nomen Annales tacuere ) sibi rei bellicæ gerendæ Provinciam, Amazon corona, demandari expetiit, & impetravit. Quæ eo bellandi genere usq; ut quotidie pro felici tum bellorum tum negotiorum Regiorum successu B. V. Psalterium orando persolveret, effecit, ut semper viator Hispanus miles cum Saraceni-  
co confixerit. *Adamus de Rupe par. 5.*

*Psalter. c. 62.* A fœmina viros disce-  
re non pudeat. S. Maria, &c. Pag.  
106.

18. Lerenam Maurorum civita-  
tem Rodericus Magister Ordinis S.  
Jacobi oppugnabat: cùmque nihil  
suis proficeret viribus, cœlestes ex-  
petiit, DEO, ejusque Matri factus  
supplex: hæc Sacerdoti, læsis Chri-  
stianis servienti, apparens, victori-  
am, si Mauros oppugnare pergerent,  
pollicita, in promissi fœdus malum  
granatum porrigit. Re compertâ,  
mirum quantum animati milites, in  
muros parant impetum; unus ali-  
quis sagittam in nomine B. V. de Ma-  
lo granato in Urbem jaculatur, quâ  
læsus Urbis Gubernator cecidit, &  
cum eo civitas: in qua à victoribus  
Christianis templum MARIAE de Ma-  
lo granato structum est. In Hist. Le-  
ren. cap. 6. §. 1. Etiam mala novit  
MARIA bona efficere. S. Maria, &c.  
Pag. 106.

19. Sanctius Manuel Præfектus  
Murcianus, parvâ fæpe suorum ma-  
nu decuplò potiores Saracenorum  
copiae profligare solitus, id pii mo-  
ris habebat, ut templō intemeratæ  
Virginis salutatō, ab ea priùs, per  
quam omne datum optimum de-  
scendit, auxilium imploraret, ac  
post rem feliciter gestam, pari pie-  
tate majorem spoliorum partem  
Virgini victoriarum suarum auctri-  
ci, gratus offerret. *Alphons. de Var-*  
*gas. §. 6. ad Ann. 1343.* Quidni da-  
ret Virgo dona hominibus? si qui-  
ali-  
dem nec facultas ei deesse potest,  
Ma-  
nec voluntas. *S. Bern. serm. 7. de Af-*  
quā *sumpt. S. Maria, &c. Pag. 106.*

20. Uni post DEUM Sanctissimæ  
DEI Matri debet Hispania, quod  
post 800. penè annorum servitutem  
Le Mauricum jugum omnibus suis Re-  
gnis excusserit. Eam gloriam re-  
&c. ceptæ, unitæque Hispaniæ DEUS,  
ac S. MARIA ardentissimis suis ama-

toribus Ferdinando & Isabellæ post ba-  
tot cruenta prælia favore videntur  
concessisse. *Vide Hisp. illustr.* Filius  
non tantum audit Matrem, sed & Or-  
obedit, juxta illud Apostoli: Filii  
obedite Parentibus vestris. *S. An-  
ton. p. 4. tit. 15. c. 17.* *S. Maria, &c.*  
*Pag. 106.*

21. Alphonsus Faiardus Regni  
Murciani Præfectus, ut ditiones fi-  
dei suæ commissas certiori firmaret  
auxilio intemeratam DEI Matrem  
instantissimè venerabatur, cuius fre-  
tus patrocinio, Maurorum aciem  
aggrediebatur intrepidus, & preti-  
osiorem spoliorum suorum partem  
in æde B. V. ab horis dicta suspende-  
bat, bene conscius centuplum inde  
fructum colligendum, quod horto  
huic confiditur. *Alphons. de Vargas*  
*ad Ann. 1383.* Manus Virginis sunt  
tornatiles, ad beneficia expeditæ.  
*S. Maria, &c. Pag. 106.*

22. Fortitudine Amadæi IV. Sa-  
bau-

post baudiæ Ducis , ipso Assumptionis  
 ntur DEIparæ die Rhodus Turcis erepta  
 ilius est Anno 1310. In cuius memoriam  
 d & Ordinem militarem sub titulo An-  
 Filii nunciationis Dux fundavit, singulis  
 An- aureum torquem porrigens, ex quo  
 &c. B. V. ab Angelo salutatæ imago  
 pendula quatuor has litteras F. E.  
 R. T. legendas exhibit ; quarum  
 interpretatio est : Fortitudo ejus  
 Rhodium tenuit. *Lambert. Burch.*  
 Quot non in barathrum usque ruis-  
 semus, nisi MARIAE fortitudo te-  
 nuisset ! S. Maria, &c. *Pag. 106.*

23. Murcianæ ditionis Præfe-  
 tatus Petrus Lopez Davalos, audiens  
 Anno 1410. magnam contra se Mau-  
 torum aciem præparari, plūs in de-  
 merendo DEIparæ affectu & subsi-  
 dio , quām de milite sub signa co-  
 gendo sollicitus, non magnō suo-  
 rum stipatus numerō cum Barbaro  
 belli aleam experitur : quæ adeò se-  
 cunda Petro cecidit , ut plurimis

Maurorum cœsis, se gratitudinis erga MARIAM exhibendæ reum agnoverit. *In hist. Murc. disc. 10. c. 11.* Quis dubitare possit, in affectum charitatis transiisse MARIAE visceria. *S. Bernard. Serm. 7. de Assumpt. S. Maria, &c. Pag. 106.*

24. Sævissimo bello Turcico contra Polonię excitato Uladislaus IV. Poloniæ Rex, priusquam obviaret, ad Claromontanæ Virginis ædem, à miraculis Orbe toto celeberrimam, priùs se confert; quā in MARIAM pietate id effecit, ut bellum illud toti Europæ formidabile paucis diebus conficeretur, & victoria illa, quā fortasse majorem à condita Polonia Daniæ solum non vidit, ex parte Polonorum steterit. *Nieremb. in troph. Mar. lib. 3. cap. 58.* Nihil negligitur, cùm cultui Mariano tempus impenditur. *S. Maria, &c. Pag. 106.*

25. Inter Sanlucarem & Rotam

civi-

civitates, in ipso Oceani littore tem-  
plum est Monachorum Ord. S. Au-  
gustini Cœnobio insigne, sed ima-  
gine B. V. miraculis clarâ longè illu-  
strissimum; quò licet pyratæ Mauri,  
Turcæ, aliique non raro excensio-  
nem faciant, thesaurum, quem gran-  
dem ibidem esse non ignorant, di-  
repturi, nunquam tamen in hunc  
usque diem vel ostium Cœnobii,  
nendum templi reperire potuerunt;  
Angelis nimirum templo Reginæ  
suæ officium facientibus, ut non-  
nunquam syderatorum instar, navi-  
um quoque suarum incurii Cœno-  
bitis in prædam cedant. *Gumpen-  
berg. in Atl. Mar.* Cuncta nostra vi-  
det discrimina, nostrique clemens  
ac dulcis Domina materno affectu  
miseretur. *S. Amad. hom. 8. de Laud.  
B. V. S. Maria, &c. Pag. 106.*

26. In quartum jam mensem Bel-  
gradum Hungariæ Præsidium Tur-  
cæ oppugnabant 1456. & id fre-

quentibus assaultibus eò redegerant, ut in horas Urbs capienda putaretur; sed in tempore per preces B. Joannis Capistrani ad Patronam Hungariæ fusas, è Cœlo suppetias obtinuit: succursus namque advenit potens Hunyadii Hungarorum Ducis, qui hostium fugientium calcaneo inhærens, octo millaria insecutus, magnam eorum partem debellavit. In cuius victoriæ memoriam Calixtus tertius, eò temporis Pontifex, pulsum meridianum oblivioni propè traditum, renovavit.  
*Monstrol. vol. 3. Chron.* MARIA tenuente non corruis; ipsâ protegente non metuis, ipsâ Duce non fatigaris. *S. Bern. serm. 2. super Missus est. S. Maria, &c. Pag. 106.*

27. Ferdinandus Pinnerius notæ apud Hispanos virtutis Heros, Bugiæ Princeps, Regi Granatensi suppetias allaturus in Africam navigabat, & cum suorum 50. in 400. Mauros

ros incidit ; hic , terrore perculsis  
sociis , ac fugam meditantibus , ita  
locutus : Antesignanus , & Primores  
mei sufficiunt ad centum sternen-  
dos , ego ad ducentos , reliqui ad  
cæteros , DEIpara ad omnes ; me  
sequimini . Quâ in Virginem fidu-  
ciâ in hostes irruens , omnes vel cœ-  
cidit , vel diffugavit , nullo ex suis  
vel vulnerato . *Tamajus in triumph.*  
*Mar.* Potentissima es , ô Virgo , per  
Filiū , ut verè dicere possis Eccli.  
24. In Jerusalem potestas mea . S.  
Maria , &c. *Pag. 106.*

28. A quadraginta millibus Tur-  
carum jam ad incitas compulsa Rho-  
dus , ultimam murorum ruinam ex-  
pectabat , ut libertate perditâ Tur-  
cicum subiret jugum Anno 1480.  
Unum adhuc rebus in desperatis so-  
latium sperabatur à MARIA . Hu-  
jus ergo imagine conspicuum vexil-  
lum Cives capeſſunt , & in hostem  
vel triumphaturi , vel glorioſe occu-


bituri procedunt ; nec , nisi felicissimè : nam Virgo Sanctissima Bellonam induta , clypeô , hastáque formidanda pro Rhodo stetit ; quâ vi-sâ eo terrore perculsi sunt Barbari , ut vix , quâ fugerent , viam satis amplam reperirent . *Bergomas in suppl. ad Ann. 1368.* Nemo quærat amplius : Mulierem fortem quis inventet ? propè est hæc invocantibus se . Sancta Maria , &c. Pag. 106.

29. Frequentibus mare classibus infestum reddebat Saraceni Duce Cara Mami , contra quos moturus Bernardinus Mendoza , gloriose Christi Parentis imaginem , ut spectari posset ab omnibus , in navis suæ malo affixit , & priusquam pugnæ cum Barbaris ineundæ signum caneret , flexis omnes genibus , *Sub tuum præsidium , &c.* orare jussit , quâ finitâ in pyratas irruens tantâ eos clade affecit , ut intra horæ spatium plurimis potitus spoliis , ac magno Chri-

Christianorum captivorum numero  
liberato , reliquos profligaverit.  
*Nieremb. in troph. Mar. lib. 2. cap. 60.*  
Potens est ad impetrandum Virgo  
DEI para, quod rogatur. *Abb. Per-  
sen. S. Maria, &c. Pag. 106.*

30. Classe ducentis navibus au-  
cta, & 80. armatorum millibus pro-  
visa Melitam Solymannus aggredi-  
tur Anno 1565. Nec parùm Meli-  
tenses formidabant, cùm non plu-  
res octo millibus insula viros nume-  
raret. Sed una suffecit Mulier ad  
victoriam. Sub DEI parentis præ-  
sidium confugiunt omnes , & ab-  
sumptis obsidione quatuor mensi-  
bus, explosis 58. millibus iectum in  
irritum cadentibus, re infectâ Tur-  
cæ retrocedere sunt compulsi. In  
cujus memoriam dicti Ordinis Ma-  
gister per omnes Ordinis sui Eccle-  
sias festum Natæ Angelorum Regi-  
næ summâ, quâ fieri posset, solenni-  
tate jussit celebrari. *Spondanus ad*

*bunc Ann.* Fons tuæ, ô Virgo misericordiæ nunquam diminuitur, nec siccatur. *Idiota p. 4. conc. 18.* S. Maria, &c. *Pag. 106.*



## JULIUS.

I. **N**eapolitani Regni classis Praefectus Octavius Arragonius, pyraticæ Turcarum classi struebat infidias, quæ si ex voto cecidissent, votum nuncupat, se cum suis annua festivitate Immaculatæ Conceptionis Marianæ diem celebratum. Placuere promissa Virgini, & eum rebus Octavii successum dedit, ut duabus navibus hostilibus mari mersis, sex captis, desideriorum suorum finem optatum viderit. *Tamai in triumph. Mar. n. 120.* Deus sicut omne judiciū dedit Filio, ita omne officium misericordiæ dedit MARIAE. *Ernest. Prag. in Encom. Virg. c. 8.*

S. MA-

S. MARIA, Fœderis Arca, impe-  
tra omnibus Christianis Principi-  
bus, Regibus, Monarchis, populis-  
que universis veram, & sinceram,  
inter se concordiam, Sacro-San-  
ctum & inviolatum fœdus; im-  
pavidum infractumque animi ro-  
bur eis tribue, ut Ecclesiam univer-  
sam, totamve Rempublicam Christi-  
anam constantissimè defendant &  
propugnent, ac tandem de hostibus  
Fidei gloriosissimè triumphantes,  
devota tibi gratiarum trophæa glo-  
riabundi erigant.

Nota: *Hæc clausula repetitur quoti-  
die hoc mense.*

2. Duæ Christianorum à quin-  
que pyraticis Turcarum navibus  
pellebantur, jamque in extremo pe-  
riculo prope littus Galleianum sa-  
lutem desperabant. Erat in littore  
S. MARIÆ de Hoya dictæ templum  
cum Monasterio ab Ordinis S. Be-  
nedicti Religiosis habitato, è qui-

bus unus Christianorum sortem miseratus , tormento cuidam ignem fortuitò applicat , dicens : *In Nomin e B. Virg. de Hoya* , & globus felici prorsus iectu unam Turcicarum navium perforatam mersit , cuius interitu reliquæ territæ recesserunt , non amplius Christianos infecutæ . *Joseph. Pelliz. in relat.* Ideo facta es , ô Virgo , Mater misericordiæ , ut per te homo misericordiam inveniret . *Abb. Persen. S. Maria, &c. P. 129.*

3. Durante obsidione Hispalensi gloriosam contra Mauros victoriam obtinuit Ferdinandus III. hujus nominis Hispaniarum Rex , qui auditio Maurorum Urbi obfessæ succurrere parantium adventu , tredecim contra eos naves Duce Raymundo Bonifacio expedit , in cuius conspectum ut hostiles venere naves , cum eas longè superiores , & triplum fere numerosiores videret , non parum de victoria cœpit dubitare : verum

rùm cùm B. Virginis , cui ea dies festiva fuit , meminit , resumptis animis eos aggreditur, & feliciter fugat. *Hist. Hisp. lib. 3. cap. 1. ad Ann. 1246.* In periculis , in dubiis , in angustiis MARIAM cogita , MARIAM invoca. S. Bern. Serm. 2. *super Missus.* S. Maria, &c. Pag. 129.

4. Sub eadem obsidione Hispanensi, eodémque die, ac eodem pariter Virginis auxiliō alter Ferdinandi Regis Hispaniarum Bellidux Rodericus Alvarez triumphavit : nam à Rege contra Mauros , terrestri itinere , obsessis auxilium laturos missus , DEIparæ , cujus ea die festum agebatur in Ecclesia , invocatione , venientes adorsus , quà cœcidit , quà fugavit. *Idem ibid.* Vigilat pro clientum incolumentate Virgo ; quis enim tam plenus oculis , ac Mater luminis ? *Guiliel. in c. 3. Cant.* S. Maria, &c. Pag. 129.

5. Ad extremam Saracenismi expur-

purgationem ex Hispania , supremam videtur manum B. V. impo- suisse temporibus Philippi III. Hispaniarū Regis : nam sub hujus regimine Valentiniani Regni tumultus ( ex quo summa totius rei pendebat ) ipso præsentatæ in templo Virginis die feliciter est compositus. *Hist. expuls. Maur.* MARIA si- cut est omnium Regina, sic & omni- um Patrona , & cura est illi de omni- bus. *Idiota de contempl. B. V.* Sancta Maria, &c. Pag. 129.

6. Triginta belligerantium mil- libus stipatus Scodram obsederat Turcicus Imperator Mahometes, & tam validâ premebat oppugnatio- ne, ut sola sagittarum ab hoste in ur- bem missarum multitudo , ad cale- faciendos pluribus mensibus fur- nos, & coquenda obsonia sufficerit. Quæ tamen obsidio potentissimæ DEI Matris adjutoriō superata est ab hostibus: quos sæpius in somnis

con-

confpecta Virgo ad resistendum  
hortata est. *Marius Barlevinus lib. 2.*  
Omnia Virgo potes ex dono Filii  
tui, à quo Omnipotente omnipo-  
tens effecta es. *Idiota l. 4. contempl.*  
**18.** S. Maria, &c. *Pag. 129.*

7. Ludovicus Cardenas Meliten-  
sibus navibus Præfектus, Osenande-  
ium pyratam Constantinopolita-  
num Hispana littora infesta redden-  
tem profligaturus, Capitaneæ , ut  
vocant, navis malo , DEI parentis  
imaginem conspicuam omnibus ap-  
pendit, ac ejus auspiciis hostem per-  
sequens, ipso Purificationis Maria-  
næ die asscutus profligavit ; quo  
in prælio Ludovicus Christianorum  
Dux, pyratarum Ducem Osenande-  
ium manu suâ interemit. *Pellicerr.*  
*tom. 2.* In manibus tuis ô Virgo,  
sunt omnes thesauri miserationum  
DEI. *Dion. Carth. de vita solit.* S. Ma-  
ria, &c. *Pag. 129.*

8. Michaël Colonna miles , à  
Tur-

Turcis in Africa circumventus, in eorum venit potestatem: humano igitur procul à solatio Marianum invocat; quæ miseri voces exaudiens, facit, ut è nongentorum hostium potestate eâ se felicitate eripuerit, ut nullus nocumentum ullum ei intulerit. Quâ hic devotione liberatrici suæ gratias dixerit, faciliùs cogitatione, quâm dictione aliquis assequatur. *Baling. in Kalend. Mar.*  
**Qui MARIAM** habet Patronam, jure dicere potest: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* S. Maria, &c.  
*Pag. 129.*

9. **Quam spe Virginis Auxiliatri-**  
**cis obsidionem Urbis Hispalensis in-**  
**choaverat Ferdinandus III. Rex Lu-**  
**sitanus, & ejusdem protectione bi-**  
**nos, quâ terrâ, quâ mari submissos**  
**succursus repulerat, eandem etiam**  
**ejusdem favore Virginis feliciter**  
**terminavit, dum Urbe expugnatâ**  
**victor salutatus est. Noluit tamen**  
**trium-**

triumphare , decretō ei triumphō ,  
quæ & auspex & promotrix tam fe-  
līcis belli fuit ; imaginem quippe  
Virginis ornatissimo ferculo impo-  
sitam ad templum, ejusdem honori  
dicandum deferri voluit. *Nieremb.*  
*in troph. Mar. lib. 1. cap. 10.* O beata  
fiducia ! ô tutum refugium Mater  
DEI , & Mater nostra ! *S. Anselm.*  
*S. Maria , &c. Pag. 129.*

10. Magni Parentis Ferdinandi  
magnus Filius Alphonfus , parem  
Virgineæ devotionis ignem fove-  
bat. Hic dum Eliocratam contra  
hostes obsidet Anno 1248. ut ejus  
expugnatio expectatione facilior  
accideret, ad pedes ante iconem B.  
V. ( quam exemplō Parentis edo-  
ctus secum in castra deferre didice-  
rat ) provolutus, vires ab ea animos-  
que militibus impetravit ; inde re-  
versus assultu tentato , nec ullo ē  
suis desiderato , Urbe potitus est ;  
quam , erectō ibidem templō , B. V.

patro-

patrociniō tuendām commendavit.  
*Tamai.* ad hunc ann. MARIA diligentes se diligit, & servientibus sibi servit. *Idiota in Prolog.* S. Maria, &c.  
*Pag. 129.*

11. Quòd post varios casus Neapolitano potitus tandem sit Regno Alphonsus V. Arragoniæ Rex, debuit Immaculatæ Virgini, cuius opere ab occulti cuiusdam cuniculi manifesto periculo ereptus est; quamvis non ingratus erga tantam benefictricem vixerit, cui pretiosissima quæque dona variis in ædibus obtulit, & argenteam Neapoleos ipsius structuram, ad aras MARIÆ de *Podio* deposituit. *Boyl. in Hist. Mar. de Podio.* Non mihi alia fiducia, ô Virgo sincera, tu meus portus, Virgo inviolata, & præsens auxiliatrix. *S. Ephrem.* S. Maria, &c. *Pag. 129.*

12. Franciscus Ximenius Ecclesiæ Cardinalis, affectu erga MARIAM ferebatur devotissimo, cuius

Sodalitatem sub nomine Immaculatæ ejus Conceptionis Neapoli erectam , multùm authoritate suâ promovit , accepti olim beneficij memor, cùm armis Oranum contra Mauros oppugnavit : tunc enim ad ejus B. V. supplicantis preces sol cursum moratus est , donec suum victoriæ terminum attigisset. Cujus miraculi tam manifesti experientiâ non pauci Maurorum moti , sacris Baptisimi aquis regenerari pterunt. *Eugen. Pobles in ejus vita.* MARIA est virtus pugnantium , & Patrona victoriarum. *S. Aug. serm. de Nativ. B. V.* Sancta Maria , &c. *Pag. 129.*

13. Joannes Pignerius manifestum vitæ, libertatisque suæ periculum subierat Anno 1550. Nam in Insula Sardinia Turcarum, qui eum operiebantur , manum incurrens , vulneribus affectus , eorum jugum subire coactus fuisset, nisi DEIparæ patro-

patrocinium imploranti, præsentem  
 Virgo dexteram porrexisset, quæ  
 eum & hostium potestati eripuit, &  
 integræ sanitati pauculas intra ho-  
 ras restituit 7. Januar. *Baling. in Kal.*  
*Quomodo filiis suis opem ferre non*  
*possit Mater omnipotentiæ?* *Abb.*  
*Persen. S. Maria, &c. Pag. 129.*

14. In Mauros 1554. inciderat  
 Simon quidam, charus MARIAE  
 cliens, qui in navi Hispana Gadim  
 petente, ab hostibus circumventus,  
 omnem cum votis cogitationem ad  
 B. V. iconem Montis Serrati coli-  
 solitam convertit; & eō quidem  
 operæ pretiō, ut nec glans ferrea in  
 femur impacta nocuerit, nec ænei  
 tormenti globus intra tibias voli-  
 tans quidquam læserit. In tanti  
 miraculi monimentum globum  
 ipsum ad dictam DEI parentis ædem  
 delatum, gratus Simon appendit.  
*Baling. in Kal. 3. Febr.* MARIAM  
 habe Patronam; quia in omni ne-  
 cessi-

cessitate omnia obediunt ei. *Eccli.*

42. Maria, &c. Pag. 129.

15. Sæpius cum hostibus felicia geslit prælia Dux Guiius, qui plurimam semper in protectione Maria na ponebat. Cum civitatem Mediomatr. à potentissimo exercitu vallatam Gubernator defenderet, quolibet die sub auroram è lecto se proripere notabatur, quo tempore eâ teneri affectus devotione Virgini Rosarium recitabat, ut nullo tumultu, strepitûque bellico se impediri, aut ullâ rerum gerendarum causâ passus sit, priusquam integrum MARIÆ pensum persolvisset. *Navar. in Miscell. de Rosar.* Virgine orante ad Filium, omnes Sancti pariter orant. *Idiota p. 4. conc. 18.* Sancta Maria, &c. Pag. 129.

16. Certare munificentia Philippus III. Rex Hispaniarum cum potentissima Cœli Regina videbatur. Ille Regiis templo ejus dotabat muneri-

neribus, & illa integra Regi Regna reddebat; tum demum se victum ultrò libensque Rex confessus est, cùm ejus patrociniō An. 1610. Mauros capitales MARIÆ hostes adeò gloriose totâ Hispaniâ exterminavit, ut expulorum capita ad novies centena millia recensita fuisse credantur. *Vasconcell.* Solet Sanctissima, maxima reddere pro minimis. *B. Andr. Cret. or. 2. de dormit. Virg. S. Maria, &c. Pag. 129.*

17. Joannes Alphonsi R. Legion. Patruelis, Abbas factus, à Mauris extra teli jactum castrametantibus, & fame deditonem urgentibus obsessus, illud iniit consilium, ut omnes in oppido fæminas, pueros, & imbelli vulgus totum, ne hostibus ludibrio essent, jugularent, ipsi verò generosè cum hoste confligentes occumberent. Joannes Abbas primus sororem suam, ejusque filios interemit; Ducis exemplum milites

tes secuti. Sic ergo confidentiâ in  
B. V. excitatâ, itum in hostes; Mau-  
ri fugati, cœsique, Lusitanos reli-  
quere Victores; nec plausere ta-  
men hi, ut qui uxores, filiosque oc-  
cisos meminissent; cùm ecce die  
postero reduces, quot quot pridie  
jugulârant, vivos reperiunt. P.  
Franc. Ber. Quid aliud est uterus  
MARIÆ quàm ipse misericordia-  
m thesaurus? Rich. S. Maria, &c.  
Pag. 129.

18. Vitâ migravit æternum vi-  
sturus Fridericus I. Imperator, qui  
immensis propè itinerum, hostium,  
penuriæ, aliarumque difficultatum  
laboribus, pro re Christiana desu-  
davit, dum ope DEI, DEI paræque  
confisus, expeditionem pro Terræ  
sanctæ recuperatione suscepit, &  
Mahometanos non unô præliô, nec  
unô miraculô vicit & confudit.  
Petr. Beech. in Aquisg. Hæc Virgo  
G est

est humani generis Advocata. *Dion.*  
*Carth.* S. Maria, &c. *Pag.* 129.

19. Suam Virgini debet libertatem Sicilia. Nam dum Robertus, & Rogerius Comites Anno 1071 Panormum, Mauros expulsuri, obfidentes, opem ejus enixè implorâsent; illa vexillum manu tenens Rogerii aciem præcedere visa, effecit, ut Urbe feliciter potirentur. In cuius memoriam beneficii, stat etiamnum templum, & in templo imagine DEI paræ, vexillum manu gestantis, cui victoriæ hujus menseria, Julio factæ relatio subscripta legitur. *Gumpenk. imag.* 644. Quis misericordiæ tuæ, ô Virgo benedicta, tanis longitudinem, latitudinem & profundum queat investigare? *S. Bern.* Sancta Maria, &c. *Pag.* 129.

20. Anno 1518. Urbe, Orbéque Christiano metu Turcarum percussis, ad impetrandam contra eos Principium Christianorum concordiam,

ion. Leo X. Pont. Maxim. & solicitus  
 Ecclesiæ Pater, miraculosam DEI-  
 rta- paræ imaginem ex Sancta MARIA,  
 us, in porticu dicta, allatam, solenni per  
 071 Urbem supplicatione deferri jubet;  
 ob- quam ipse cum Patribus Purpuratis  
 râs- nudis pedibus est comitatus. Re-  
 Ro- spexit tam humiles suorum preces  
 ctit, benignissima Virgo, & Barbarorum  
 In furori eos subtraxit. *In vita Leon.*  
 eti- MARIAM rogans non desperat,  
 ima- MARIAM sequens non deviat. S.  
 ge- Bernard. Serm. 2. sup. Miss. S. Ma-  
 ense- ria, &c. Pag. 129.

legi- 21. Plurimis contra Mauros plan-  
 s mi- sibus gloriosus Rex Alphonsus Lusi-  
 dicta, taniæ Monarcha, eō in promoven-  
 pro- dam rem Christianam ferebatur de-  
 Bern. sideriō, ut vias omnes solicitus in-  
 quireret, quomodo etiam post mor-  
 éque tem Christianis commodo, & Ec-  
 rcul- clesiæ hostibus incommodo esse pos-  
 Prin- set. Hunc in finem militarem Or-  
 iam dinem contra Mauros pugnaturum  
 Leo

instituit, & quia se per DEI paræ intercessionem has de Mauris adeptum esse victorias fatebatur, Ordinem ipsum patrocinio & nomine **MARIÆ** gaudere voluit. *Mariana lib. 11.* Virgo est thesaurus Domini, & thesauraria gratiarum, unde dona nobis omnia proveniunt. *Idota.* S. Maria, &c. *Pag. 129.*

22. Varia cum Mauris prælia Raymundus Artagoniæ Princeps & Comes Barcinonensis gessit, semper tamen prosperè: nam 1145. 27. Octobris Almeriam expugnavit; 1148. 31. Januarii Dertosâ potitus est; Anno demum 1149. 1. Novemb. Ilerdam & Fragam civitates occupavit; præter quæ plures alias à Mauris priùs recuperatas recepit arces, Regibus eorum interfectis. Tot beneficiorum à DEO, & B. V. acceptorum ne immemor viveret posteritas, 300. ædificavit Ecclesias, quas & amplissimis redditibus dota-

vit.

vit. *Baling. 6. Aug.* Date, & dabitur vobis. S. Maria, &c. *Pag. 129.*

23. Rex Deios in India, fœderis cum Lusitanis pacti immemor, suas Maurorum copiis jungens, in Lusitanos moverat; hi Malacam adventum ejus expectare renuentes, agmine facto, confessi prius omnes, sacrōque epulo refecti (hoc est Christianè pugnare) die B. V. in cœlos ascendentī sacro, sub hujus auspiciis, obviām procedunt, ac infidi Regni arcem priores tentant oppugnare. Erat arx 10. hominum bellatorum millibus, & tormentorum grandium multitudine satis firma, hanc tamen Lusitani 420. non plures, intra paucas horas maxima cum hostium strage sibi subdiderunt. *Bencius ad Ann. 588.* Sub alis tuis custodi, & me protege, & miserere mei, ô DEIpara! S. Ephrem. Sancta Maria, &c. *Pag. 129.*

24. Miraculosa DEIparæ imago,

quæ nunc in Claromonte Poloniæ oppido culta, montem illum à miraculis longè fecit clarissimum, olim Constantinopolitanis ut venerationi, ita non raro subsidio fuit. Saracenis Urbem oppugnantibus contingit è civibus unum suassisse populo, ut imaginem publicè expositam omnes hâc voce precarentur. *Sancta DEI Genitrix, quæ toties nos liberâsti, libera nos modo de iniuricis Filii tui, & in mari merge illos.* Quâ oratione vix finitâ, exurgens repente procella naves omnes unâ cum Saracenis discepertas mersit. *Canis. lib. 5. cap. 24.* Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, ô MARIA, quoniam non derelinques quærentes te, ô Domina. S. Maria, &c. 129.

25. Quæ nunc in templo RR. PP. Franciscanorum Viennæ colitur Dei Genitricis imago, eadem sub Rudolpho II. Imperatore Christianis insignem contra Turcas in Ungaria victo-

victoriam dedit. Eâdem quippe vi-  
gesimâ septimâ die, quâ imago hæc  
ad Ladislaum Sternberg, in castris  
militantem, allata est Anno 1603.  
feliciter à nostris cum hoste pugna-  
tum fuit. Nemo militum fuit, qui  
beneficium DEIparæ non adscribe-  
ret; cuiusdemum imago majori coli-  
devotione cœpit. P. Gumpen. in  
*Atl. Mar. imag. 69.* Sicut turris Da-  
vid collum tuum (ô MARIA) quæ  
ædificata es cum propugnaculis.  
S. Maria, &c. Pag. 129.

26. Colitur Brixiae DEIparæ ima-  
go, *Mater consolationis & gratiarum*  
à pio populo compellata. Cùm e-  
nim Urbem bella urgerent, imago  
hæc ex patenti, ubi ereta fuerat,  
campo, Urbi reverenter illata, cœ-  
pit esse portentosa; quoties enim  
hostes imminerent, aut aliæ tempe-  
states premerent, toties Filium,  
quem brachiō sustinet, visa est pieta  
Virginis imago rogare, donec Ma-

tris precibus mollitus Filius, admodum pectori manu exauditam esse significaret. *Idem imag. 223.* Quid filius Matri, quid Mater clienti negare possit? S. Maria, &c. *Pag. 129.*

27. Cassianum Aquiliae oppidum, a numeroso hoste obsessum, & iis, quae militiae periti pro defensione requirerent, omnino destitutum, sola Virginis DEIparæ invocatione, terrore liberatum est, quem Virgo hostibus incussit tantum, ut obsidionem solvere, & quam penè sub unguibus habebant, Urbem relinquere sint coacti. Hinc imaginis DEIparæ Cives nomen dedere *Vinci guerra*, seu *Vinces in bello*. Quos hi hostes metuere possint, ego non video. *Idem imag. 295.* Tu, ô Dominus, DEIparens, meum refugium es, & vita, ac defensio mea. S. Germ. Constant. S. Maria, &c. *Pag. 129.*

28. Quo Gundisalvus Dux cum Mauris conflicturus erat, eodem, id est,

est, 9. Junii mensis die, magnâ comitantium Angelorum processione triumphabunda Virgo, Giennæ in Hispania templum ingredi Anno 1430. est conspecta: ex quo nemo Civium fuit, qui hanc contra impios DEIparæ hostes partam victoriam, MARIÆ patrocinio non adscriberet, maximè quòd ab ea victoria in dies securior à Mauris Urbs Gienensis evaserit, hostibus priùs ipsa Urbis suburbia non rarò depopulantibus. *Idem imag. 369.* O MARIÆ! apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi. *Psalm. 34.* S. Maria, &c. Pag. 129.

29. Anno 1614. 60. triremes Turca admovit Melitæ, nunquam minùs quàm tum ad hostem sustinendum paratæ. Illud in potiore felicitatis parte habuerunt incolæ, quòd eò loci hostis Urbem aggressus anchoras fixerit, quo Thaumaturga MARIÆ icon Melitam de-

fendebat: & verò experti ipsi Barbari sunt, præstitum à Virgine Insulæ auxilium, quando omnem illam oram ingenti equitum, pedestrumque numerō refertam conspicientes, terrore fugam suadente perculsi, sublatis anchoris Melitam deseruere, non nisi à Cœlitibus, quos DEI para in subsidium misit, propugnatam. *Joan. Abela Vice-Cancell. Melit. lib. 3.* Tu, ô Virgo intemerata, noster es portus, tu Præses, tu pia auxiliatrix. *S. Ephrem. Syrus.* Sancta Maria, &c. Pag. 129.

30. Petrus Toletanus non priùs efferam Turcarum barbariem provocare ausus, quàm se, suósque miraculosæ DEI parentis imagini à Victoria dictæ commendaret; retulit devotionis suæ fructum: hostes namque suos justō præliō devicit; qui ut gratus erga Auxiliatricem esset, pro servato in periculo belli capite, pileum suum in templo appen-

pendit, depositō pileō futurus semper fidelis MARIÆ cliens & servus.

*Gumpenb. imag. 233.* Habet Virgo vires insuperabiles, robur inexpugnabile. *B. Georg. Nicomed. orat. de præsent. B. V. S. Maria, &c. P. 129.*

31. Celebre Bohemiæ templum Divæ Virginis sacrum Wartæ visitatur, cūjus patrocinio plusquam munitissimo cuique præsidio fidunt accolæ. Robur, quod Virgo dedisse loco creditur Anno 1341. non obscurè deprehensum est, quando Tartarorum quīngenta millia non procul loco illo considerant, nec tam ultra Wartam, occultâ vi retrahente, procedere potuerunt. *P. Balb. in Hist. Virg. Wart.* Cuncta nostra videt discrimina, nostrique clemens ac dulcis Domina materno affectu miseretur. *S. Amad. orat. de præsent. B. V. S. Maria, &c.*

*Pag. 129.*

Sicut est: sicut: sicut: sicut: sicut: sicut:  
 sicut: sicut: sicut: sicut: sicut: sicut:

# VICTORIÆ MARIANÆ, CONTRA HÆRETICOS.

## AUGUSTUS.

**I.** **T**AM multiplicitia B. Virginis in Justinianum Imperatorem fuisse beneficia, ut quamvis gratitudine ea conaretur exæquare, victum tamen se à munificentissima Virgine fateri debuerit. Hujus ope scelestam Nestorianam Hæresim, latè sacra omnia temerantem triumphavit, & templo, quæ hæreticorum superstitione profanata squallebant, his erepta, novum in nitorem conformata Opitulatrici suæ dicavit. *Spondan. ad Ann. Dom. 534. Adstat Beatissima, singulari virtute præcipua,*

pua, vultui Conditoris, semper interpellans pro nobis. *S. Amad. hom. 8. de laud. V.*

S. MARIA triumphatrix hærescon gloria, respice de solio excelsa gloriæ tuæ, & hominum corda fraude diabolicâ in varias sectas miserabiliter distracta, in unionem fidei, pacisque conjunge; Tuis verò, tuorumque tibi fidelium piis conatus reluctantes, & contumaces, dexteræ tuæ virtute prosterne: Tu enim es illa Virgo potens, quæ cunctas hæreses sola interimere vales in universo mundo.

2. Beatus Sabbas ingens à DEO præmium se Justiniano impetratum promiserat, si augustam DELparæ Ædem in Syria struxisset. Cæsar Africam exposcit in præmium. Neutrum suâ Cœlum liberale spe fraudavit: Africa namque Gilime re Rege superato Anno 534. capta, & quæ 95. annis jam amissa, ARII er-

roribus seducebatur, ad veram Ecclesiæ semitam est reducta. *Cyrillus in vita Sabbae.* Tu mundi Domina, Cœlorum Regina, post JESUM sola spes nostra. *S. Bonav.* *S. Maria, &c. Pag. 153.*

3. Quid non audet impietas? Sacrilega Arianorum temeritas in Apostolicam sedem injuriosa. Romanam ipsam invaserat, totam in capite Ecclesiam sub jugum missura. Adfuit Justiniani Imperatoris fortitudo in tempore, quæ suâ in DEI param pietate meruit, ut Anno 537. Duce Belisario, Neapolim, Hetruriam, Romamque ipsam reciperet, & Vitigem hæreticorum Regem vinculis compeditum coram se cerneret. *Vide Anastasium.* Per MARIAM exivit de cœlis ad nos, quidquid unquam gratiæ venit in mundum. *S. Anton. p. 4. tit. 15. cap. 20.* *S. Maria, &c. Pag. 153.*

4. Semper suos iniquitas patronos

nos habet, cùm vivunt improbi.  
Anno 552. Arianam pestem totâ  
latè grassantem Græciâ armis & au-  
thoritate suâ tuitus est Rex Totila,  
sed & suum innocentia tutorem re-  
perit in Narsete, qui valido adjutus  
milite scelestorum Antesignanum,  
& hæreticæ pravitatis protectorem  
Totilam, collatis in Tuscia signis,  
victum interemit. DEIparæ ope ni-  
tebatur Narses, utpote à qua com-  
mittendi prælia signum accepit. Pro-  
cop. de bell. Persico lib. 6. MARIA se  
suppliciter invocantibus favet. Ri-  
chard. à S. Laur. l. 2. de Laud. B. Virg.  
S. Maria, &c. Pag. 153.

5. Pessimo Arianorum fautori  
Totilæ eodem adhuc anno ( adeò  
fœcunda est improbitas pejor suc-  
cessit Rex Tejas, qui & ipse ( ut ar-  
rogans semper est hæresis ) cum Nar-  
sete manus conserere ausus, vinctus  
cum Regno vitam amisit. Narses  
namque cultor DEIparæ ardentissi-  
mus,

mus, Virginis Catholicorum Patronæ monitu, signa contra hæreticum exercitum, & Regem movit. *Sigonius.* Ave Virgo nostra consolatrix, quæ mœrores sedâsti, & oppressorum molestias leniisti, cunctasque oppressiones sustulisti. *S. Ephr. or. de Laud. B. Virg. S. Maria, &c. Pag.*

153.

6. Ultrò viëtricia signa intulit Narses. Nam qui pro Fidei Catholicæ incolumitate decertabat, non potuit tam bonâ causâ non triumphare, maximè cùm præsentem potentissimæ armorum Christianorum Protectricis opem sibi adesse sensit. Huic confisus alium Arianorum Ducem aggressus, feliciter prostravit. *Idem.* O Virgo, potentia & virtus in brachio tuo, robur, & fortitudo in dextera tua. *Psalm. 35. Bon. Sancta Maria, &c. Pag. 153.*

7. Multiplicitem hydram esse Hæresim nemo dubitat, dum tot rese-  
ctis

Etis Hæresiarcharum verticibus, novi, Narseti Herculi Catholico, labores metendi succreverunt. Devictis enim verò prioribus hæresum fautoribus, novi fese impietatis Duces Buselinus & Sildualdus objeccerunt. Nec territus animo Narses concidit, sed animis ad DEI parentis auxilium implorandum conversis, novam sibi vincendi materiam offerri gavisus, bina hæc unō præliō monstrâ aggressus, feliciter fugavit. *Idem.* Tibi nos, MARIA, commendamus, tu procura ne pereamus. *S. Ansel.* *lib. de excell. V. cap. 16.* *S. Maria, &c.* *Pag. 153.*

8. Gloriosa, quaquà procederet, contra hæreticos trophæa statuebat Narses, Catholici belli Imperator devotissimus; uno fuso exercitu, alium, quem cæderet, quæsitus, Rubiconem transivit; re ibi feliciter gestâ, Gotthos delevit, nec quiete interpositâ in Italiam revertens,

sus, Romanum in eadem Imperium, hæreticis furoribus non parùm labefactatum, Anno 545. restauravit. Sed quid mirum est, tam felicia eum gessisse prælia , cui sæpius spectabilis DEI para , & bellandi leges dictabat, & ad victorias animat. *Callist. lib. 17. cap. 13.* Vis vincere ? roganda est MARIA, ut velit ; quia si vult, necesse est, ut fiat, *Richar. à S. Laur. lib. 2. de Laud. B. V.* S. Maria, &c. *Pag. 153.*

**9.** Astulphus Rex Longobardorum eò temeritatis evasit, ut Anno 752. Sanctissimum Ecclesiæ Patrem Stephanum Pontificem adorsus capere tentaverit, ac ut tantò scelestior foret impietas, in Divos ipsos insurgens, S. Cœciliæ corpus rapere fit conatus. Insanos risere ausus Superi, ( qui enim vinceret, qui cœlum provocat ? ) nam ut ipsa Diva Cœcilia Pontifici retulit, gratiâ Dominiæ DEI Genitricis MARIAE impius

pius Regis ausus est elusus. *Anastasius Bibliothec.* Potentissime protegit Virgo servos suos ab adversario. *Rich. à S. Laur. lib. 2. de Laud. B. Virg. S. Maria, &c. Pag. 153.*

10. Miraculum sit, si à turbis hæresis aliquando cesseret. Repulsa nuper Astulphi contra Stephanum Papam in solecentis audacia, assumptis iterum viribus Anno 754. Catholicos cœpit inquietare. Sed reperit Caput hoc impium, vindicem in Pipino dexteram, qui DEI paræ fretus auxiliō monstrum hoc fœdæ tempestatis minax debellatum, ad saniora compulit consilia. *Idem. Domina, in cœlo misericordia tua, & gratia tua diffusa est super terram. S. Bonav. Psalm. 35. S. Maria, &c. Pag. 153.*

11. Magno Catholicorum luctu diem supremum vixit Anno 886. Basilius Orientis Imperator, qui inter cætera gloriose gesta, & varias inter-

intercessione DEI Genitricis obtentas diversis hostibus victorias, scelestam etiam Manichæorum hæresim, novas superstitiones molientem humiliavit, dum Chrysochire Duce sub signa congregatam, memorabili prælio fudit. *Cedrenus apud Zonar. tom. 3.* Virgo est defensio Christianorum, semper intercedit pro Christianis. *Eutichian.* S. Maria, &c. *Pag. 153.*

12. Necdum satis humiliata videbatur hæresis, nisi Rochellam (quæ perfidiæ nidus erat & tutamen) Rex Ludovicus expugnaret. Eam proinde aggressus, post annum ferè obsidionem (tamdiu refractaria durabat hæresis) occupavit: Urbemque viator ingressus, non pedem inde priùs extulit, quām magnificum ibidem DEI parenti templum molitus, primum fundamenti designatis Rex pientissimus lapidem injiceret. Nempe ut firmius res

res Ludovici starent, fundamentum illis ponebat. *Nierem. in troph. Mar. lib. 3. cap. 61.* In Nomine tuo , ô MARIA! spernemus insurgentes in nos. *Richar. à S. Laur. lib. 2. de laud. B. V. S. Maria, &c. Pag. 153.*

13. Sancto Henrico secundo Imperatori solenne erat invocatione Virginis intemeratae tam per se, quam per alios à DEO victoriam expetere, imò & impetrare. Erexerant rebelle caput Schismatici in magna Græcia , legitimo Domino refractarii, quos tamen in veterem reduxit obedientiam, dum eis , felici armorum progressu territis concordiam persuasit Anno 1023. *Cassianus.* Sub tutela & protectione tua, ô DEI para , totus sum, crebris lachrymis te, ô celeberrima Mater, imploro. *S. Ephrem.* S. Maria, &c. *Pag. 153.*

14. Inquieta bellorum Mater. Hæresis, nova semper cudit bella, & sopi-

pitas iterum resuscitat discordias. Ita factum Henrico secundo sceptrum Imperii moderante , dum Bohemos Anno 1023. in novos auxilios Hæresis provocavit ; quos tamen facile Henricus domuit , dum præsentaneam sibi DEIparæ opem , filiali , quo in eam ferebatur affectu , est promeritus. Cujus ductu toties hic Imperator de hostibus triumphavit , ut novum pro singulis à MARIA beneficiis acceptis , positurus gratitudinis monumentum , prope mille Ecclesias erigere debuerit.

*Adelboldus.* Exaudi nos Domina , in die tribulationis. S. Bonav.

*Psalm. 19.* Sancta Maria , &c. Pag.  
153.

15. Albigensium facta non solâ populi novitate gaudentis multitudine , verùm & Principum virorum favore audacior facta , Murellam arcem , ad Garumnæ fluminis ripam consitam , oppugnare contra Catholicos

licos aggreditur Anno 1213. Nihil dejectus animo loci Præses Simon Mondofortius, 1608. Milites sub signa convocat, exiguis pro tanto hostium numero manipulus, nisi aliunde robur mutuâisset. Dux gladios, DEIparæ Virginis corollâ, quam Rosarium dicimus, obarmari ad capulum jubet, sicque in hostem armatus procedit. Nec adventum hæretici exspectârunt: nam eo vel eminus viso, vitam fugâ salvare laborârunt. *Mariana l. 12. c. 1.* Non est potestas super terram, quæ comparetur tibi, ô Virgo potens. Sancta Maria, &c. *Pag. 153.*

16. Ausus erat Henricus IV. in locum Gelasii II. Pontificis, armorum suffragiô, intrudere Bardinum Antipapam Anno 1518. palamque bellum Ecclesiæ intentare; quæ non Christiani sanguinis effusio schisma hoc secuta fuisset, nisi DEIparæ exitium ab Ecclesia in hostes

ver-

vertisset? Quod ne secutura ætas ignoraret, infantulus in cunis vagiens prodigiose locutus. Catholicos Virginis auxiliō vicisse pronunciavit. *Bosius de signis Eccl. lib. 24. cap. 5.* Erras, si miserationem ullo tempore, vel loco credideris in MARIÆ defuisse. *Gerson. S. Maria, &c. Pag. 153.*

17. Laudabilis Gerardus Holsatiæ Ducis confuctudo fuit, quâ pugnaturus Beatissimæ Virginis imaginem è collo pendulam circumferebat. Thesaurum nempe noluit procul à corde abesse. Nec suâ hæc pietas utilitate caruit. Nam Anno 1320. ter contra Danos pugnaturus Gerardus, prius, quam tubâ belli signum ederetur, clarâ coram exercitu voce MARIAM invocavit: *Nos hâc die congregatos serva MARIA:* & totidem vicibus triumphavit. *Granzius in Saxon. lib. 9. cap. 10.* Cùm eadem sit potestas Matris, & Filii, sequi-

sequitur ab Omnipotente Filio , O-  
mnipotentem Matrem effectam.  
*Rich. à S. Laur. lib. 2. de Laud. B. V.  
S. Maria , &c. Pag. 153.*

18. Anno 1523. Miraculis cla-  
rescere cœpit imago DEIparæ , in  
Ecclesia Ducali S. Georgii Nanceiani  
in Lotharingia populorum venera-  
tioni proposita. Primum ab ea mira-  
culum ad rem nostram facit : Mutæ  
illa mulieri vocem dedit, simûlque  
monuit, ut Renatæ Borboniæ Lotha-  
ringiæ Ducis Conforti victoriam à  
Duce Lothareno contra Hæreticos  
in Alsatia reportandam nunciaret.  
Fecit hæc quod jussa erat, & denun-  
ciationem eventus veram fuisse de-  
monstravit. *Ex Hist. imag.* Ubi-  
cumque fuerit miseria , Tua O Virgo  
currit & succurrit Misericordia. *S.  
Maria , &c. Pag. 153.*

19. Urbem Aniciensem Anno  
1584. refractaria Hæreticorum tur-  
ba obsederat, quam suo dubio pro-

cul jugo subdidisset, nisi tantum à ci-  
vitate malum DEI para invocata a-  
vertisset: jam grande ad Urbis por-  
tam effringendam Tormentum col-  
locaverat impietas, illud tamen nul-  
lo, impensissimo licet laborarent  
conatu, in flammam aut iustum po-  
terant animare; quo eventu DEUM  
pro obsessis stare Hæretici didice-  
runt, ne quid pejus experiri cog-  
rentur, fugâ se salvârunt. Anicien-  
ses porrò liberi, in perpetuum Ma-  
rianæ protectionis argumentum a-  
nathema in templo B. V. *de podio*  
posuerunt. *Odo Gissæus lib. 3. cap. 4.*  
Esto mihi Domina Turris Fortitu-  
dinis à facie inimici. S. Maria, &c.

Pag. 153.

20. Celebris ille Maximiliani Ba-  
variæ Ducis triumphus, quem de-  
subactis Protestantibus Anno 1620.  
retulit, opus erat protectionis Ma-  
rianæ: Hujus quippe imago, quam  
scelerata cujusdam hæretici manus

exo-

exoculaverat, inter rudera inventa,  
& Catholico exercitui prælata fe-  
cit, ut faustum expeditioni finem  
Dux imposuerit. Quod ne ulla  
unquam obliteraret oblivio, sum-  
ptuosum in ipso præliai loco Ferdi-  
nandus Imperator DEIparæ Odæum  
extruxit. *Courcier in Negot. Sæculorum  
hoc anno.* Hæc est miseriarum misera-  
trix, omniumque fidelium piissima  
Advocatrix. *Thom. Kemp. in solil.  
cap. 2. 4. S. Maria, &c. P. 153.*

21. Ziska improbus latro, Na-  
tionis suæ probrum, templorum va-  
stator nefarius, Brixiam Anno 1421.  
obsidebat, ubi ejus asseclæ San-  
ctimonialium templum, perforatis  
assulatim foribus ingressi, septem sa-  
cratas DEO Virgines, ad ipsum al-  
tare, non simplici vulnere, sed quan-  
tum insana ferocia dictavit, truci-  
dârunt. Displicuisse sibi scelus DEI-  
paræ statua, caput movendo, est  
testata. JESULUS ipse brachio

Virginis insidens, digitum minantis  
in morem, ori inferuit, & repentina  
terræ motu concussi facinorosi à sce-  
lere destiterunt. *Gumpenberg in Atl.*  
*Maria imag. 136.* Domina, si tu dees-  
tuis, quis aderit suis ? *Vinc. Beluac.*  
*Sancta Maria, &c. Pag. 153.*

22. Jurati MARIAE hostes Hære-  
tici Albigenses Anno 1212. ad du-  
centa armatorum millia in aciem  
eduxerant contra Catholicos ; quis  
non ultimum Romanæ Ecclesiæ exi-  
tium timuisset, timere sanè poterat,  
nisi materna DEIparæ pro filiis suis  
Providentia malo medelam repe-  
risset ; dum ex immanni illa Hæreti-  
corum colluvie septuaginta millia  
Fidelium succisa ferrō, ceciderunt,  
& ipse iniustitatis Dux Petrus, in Pe-  
tram Ecclesiæ refractarius, trucida-  
tus est. *Prateolus lib. 1. de Hæres.* Po-  
tentiam habet Virgo, quæ nequit  
labefactari. *B. Andreas Cret. or. 2. de*  
*dorm. V. S. Maria, &c. Pag. 153.*

23. Suis non satis tuta viribus  
Albigensium iniqüitas, sociam ex  
Africa Memelini Barbariem evoca-  
vit, ut sic bino impetita exercitu res  
Catholica penitus succumberet. Eò  
audacis Memelinus superbiæ eva-  
serat, ut Innocentio Summo Ecclesiæ  
Patri initari sit ausus, se Vaticano,  
pro equorum suorum stabulo, usu-  
rum; sed dedit justas arrogantiæ  
suæ pœnas, nam Catholicorum non  
plura octonis millia. DEIparæ sub-  
fidiō adjuta, die uno centum millia  
Heterodoxorum morti imolârunt.  
*Fridericus Fornerus in dedic. Psal. Tri-  
umph.* Hæc Mater est totius conso-  
lationis, quæ consolatur nos in tri-  
bulatione nostra. *S. Anselmus.* *S.*  
*Maria, &c. Pag. 153.*

24. Rursus lymphata Albigensi-  
um rabies, contra Petri naviculam  
concitata, procellas movit in Ca-  
tholicos, & quidem secundo non-  
nihil Hæreticarum molitionum flu-

xii; Alanus quippe Catholicorum  
Dux minùs feliciter cum iis dimi-  
caverat, donec resumptis viribus,  
M A R I A M periclitantes invoca-  
rent, quæ lapides è Cœlo jaculata,  
morte, ac vulneribus Hæreticos ob-  
trivit. *Ferdin. Castiglia lib. 1. cap. 34.*  
Tu sola es, ô Virgo! quæ Hærefes  
interemisti in universo mundo. S.  
Maria, &c. *Pag. 153.*

25. Fortissimus armorum Cæsa-  
reorum Ductor Tillius per mutum,  
à DEIpara recens sanatum, ad fran-  
gendam Marchionis Durlacensis  
Hæretici audaciam animatus, ejus-  
dem patrocinio confisus, rem glo-  
rioso fine terminavit. Sed & alios  
bellorum successus Heros hic, ut  
fortissimus, ita non minùs pius,  
DEIparentis potentiae adscribebat.  
Unde adamantem in gestorum præ-  
mium sibi ab Aula submissum B. V.  
consecravit, dicens: Victori deberi  
præmium. *Tousanus Bridul. in tri: B.*

*Virg.*

*Virg. 30. Apr. Per tuas, ô MARIA! preces, arma hostium, infantium tela ducimus. B. And. Cret. or. 2. de Dor. V. S. Maria, &c. Pag. 153.*

26. Überlinga à Svecis An. 1634. obsessa, & eas in angustias coacta fuit, ut extremam sibi adesse moriendi necessitatem omnes existimarent, sed solari suos voluit Clemencissima Domina, super Urbem spectabilis visa: ad hanc illico ardentes omnium preces & vota converfa: unanimi omnium suffragio annuae processionis votum, in DEI paræ honorem peragendæ emissum est, nec suam Virgo desiderari ope passa, obsidionis periculô exemit Civitatem, quæ liberatrici suæ argenteam eâ formâ statuam posuit, quâ 28. Aprilis super Urbem obseßam apparere est dignata. *Idem 17. Maii.* MARIA Christianorum est propugnaculum, & propugnatrix eorum, qui in ea spem collocârunt.

B. *Andreas Cretensis.* S. *Maria, &c.*  
Pag. 153.

27. Fratres Monasterii D. Petri Damiani, multis hæreticorum injuriis indignè vexati, rapinis, incendiis, denique & aperto bello impediti, Cæsaris ope invanùm imploratâ, ad Augustissimam Cœli, terræque Imperatricem vota vertunt, quotidie se Officium B. V. recitatores promittunt, si suo Cœnobia pax & tranquillitas rediret. Audiit suorum preces Virgo, & hostibus inde repulsis eos pristinæ quieti restituit. *Petrus Damian. lib. 6. ep. 32.* Patrocinium tuum, ô MARIA! magius est, quàm ut intelligentiâ apprehendi possit. *S. Germ. serm. de Zona B. V. Sancta Maria, &c. Pag. 153.*

28. Tot bellorum feliciter aetorum originem in B. V. patrocinium à se derivabat Ludovicus XIII. Galliarum Rex Christianissimus, quam assiduo per totam vitam cultu sibi pro-

propitiam reddere laborabat. Post expugnatam cum orbis admiratio-  
ne & plausu Rupellam, ubi tutam  
sibi hæresis & rebellio sedem fixe-  
rat, ibidem magnificum DEI Geni-  
trici templum à victoria nomina-  
tum perenne victoriæ stare monu-  
mentum voluit, ne se victam ali-  
quando hæresis negare posset. Po-  
ræus tripl. coro. tr. 3. cap. 7. §. 5. n. 10.  
Tam in cœlis, quām in terris pote-  
statem habet Mater potentissima  
Creatoris. S. Bonav. in Spec. cap. 8.  
S. Maria, &c. Pag. 153.

29. Idem Rex gloriofissimus An-  
gelorum provocatus pertinaciâ, in  
novum bellum processit, nec vi-  
ctoriam sperare ausus fuisset, nisi spem  
in Belli Christiani Præside collocâf-  
set; cuius præsidio Anglos in Insu-  
la Rhæa memorabili clade afflixit,  
& spolia hosti erepta honori Mari-  
ano dedicavit, in cuius pariter tem-  
plo Parisiis magnificè adornato, 44.

vexilla hostilia suspendit. *Ibidem.*  
 Solium divinæ misericordiæ, in qua  
 omnia inveniuntur solatia miseri-  
 cordiæ. *S. Bern. in Spec. B. V.* *S. Ma-  
 ria, &c. Pag. 153.*

30. Tam Catholicæ fidei, quam  
 Mariani honoris cultor eximus Of-  
 waldus Angliæ Rex, egregium Chri-  
 stianæ in MARIAM fiduciæ docu-  
 mentum posteris reliquit, dum quo-  
 ties in conflictum coactus ibat, to-  
 ties ante datum classicum in genua  
 procumbens, contentissimâ voce  
 orare consueverat. O MARIA Ca-  
 strorum acies ordinata, tuos, tuique Filii  
 hostes, in his nostris hostibus prosterne. Et  
 verò respondit petitioni eventus,  
 dum pluribus gloriosus victoriis,  
 hostibus suis cœpit esse formidabi-  
 lis. *Ex fastis Reg. Angl.* Cœlum, &  
 terra jam pridem ruissent, si non  
 MARIA precibus sustentasset. *Ful-  
 gen. in Mythol.* *S. Maria, &c. Pag.  
 153.*

31. Centum vicens navibus in Gallias invecta hæresis rem Catholicam non parùm conturbabat, jámque velis ipsis tumidior impietas, triumphum canere videbatur; Nam Ludovico XIII. Rege Christianissimo ægro, omnia ad resistendum infirma videbantur. Stabat tamen animo, qui corpore Rex jacebat, & ad DEI parentem, cuius amor cum eo à teneris crevit, conversus, vota ad ejus imaginem, Adrilliæ à miraculis, celebrem, concipit. Regnum, si vicisset, vovet. Nec mora, Gallicis armis, Anglicana barbaries cedere cœpit, & fugientes hostes à tergo sequace ferro trucidati, repulsique sunt. *Nier. in troph. Mar. lib. 3. cap. 61.* Domina Benedicta, beneficiis tuis plenus est mundus. Sancta Maria, &c.

*Pag. 153.*



## SEPTEMBER.

1. **U**T post expulsas è Gallia hæreses, & rebelliones domitas pacatus Regnum gubernaret Galliarum Rex Ludovicus XIII. Decretum, pietate in Beatam Virginem plenissimum, Parisiis promulgavit, quo se ope DEIparæ felicem Bellorum exitum sortitum esse testatur, ac unà Sospitatrici suæ se, Coronam, Regnum, Bella, Civitates, ac omnia dedicabat. Voluit insuper Decretum illud, post annuam die festo Assumptæ Virginis supplicationem peractam, ab Archi-Episcopo promulgari, ut omnes exemplò Regis sui, ad pietatem Marianam vehementius incitarentur. *Marecias.* Tu unica spes nostra, in qua confidimus; Tu sola Patrona nostra, ad quam omnes aspicimus. *S. Thom. de Villa Nova. serm. 3. de Nat.*

Sancta Maria, Cœli terræque Imperatrix potentissima, aspice, quot sectæ nefariæ, quot hæreses abominabiles, tibi tuoque Filio dilectam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam incessanter impugnant: pro hac tuenda & propaganda terribilem velut castrorum aciem ordinatam te illis exhibe, ut sacro tui perculsi terrore, vel saniora consilia amplectantur, vel internecione deleantur.

*Nota: Hæc clausula repetitur quotidie hoc Mense.*

2. Totus in Ecclesiam concitatus videbatur Erebus, tot eodem tempore hostes eam impetebant; simul quippe Saladinus in Syria, Ethnici in Lithuania, Mauri in Africa, Hæreticique in Anglia Sedem Apostolicam oppugnabant Anno 1237. Quod tantis malis auxilium fuit? sola contra tot hostes DEI para defendit Ecclesiam, & à tot ho-

stium furoribus immunem conser-  
vavit, prout ipsa dilecta sibi Clienti,  
D. Dominico revelare est dignata:  
*Carthagena tom. 3. lib. ult. §. 70.* Tu  
victoriosissima Virgo, de omnibus  
hostibus semper triumphâsti, ac Vi-  
ctoriam reportâsti. *Bernardin. Bustius Part. 11. Marian. serm. 3.* S. Ma-  
ria, &c. Pag. 177.

3. S. Leander in extirpandum  
ab Hispanis Provinciis Arianismum  
totus intentus, media modosque o-  
mnes sollicitus inquirebat. Accidit,  
ut talia agitanti, missa à Greg: Mag:  
*B. V. imago Lupiarum aquarum* dicta  
veniret in manus: hanc ille opti-  
mam hæresi debellandæ panopliam  
esse ratus, in Belli Catholici Prote-  
tricem invocat, cuius ope multa  
miraculis paria contra Arianos pa-  
travit. *Canisius lib. 5. cap. 22.* Tu  
concedis Fidelibus, de hostibus Vi-  
ctoriam. *Bernardin. Bustius Part. 11.*  
*Mar. serm. 2.* S. Maria, &c. Pag. 177.

4. Carolus V. glorioſiſſimus Imperator Lutheri Mario - Maſtygis asſeclas, ſub impietatis signa certatim congregatos, corūmque Tuteſtarem quaſi Deum Saxoniæ Regulum, cum Hassiæ, ut vocant, Landgravio domiturus, ut aptas fini huic vires colligeret, ad ædem Divæ Genitricis miraculis claram, Hallas venit, ejus effictim auxilium rogaſ, & accipit: nam impios hostium conatus feliciter confundit, ac dictam DEIparæ domum Regiâ munificentiâ locupletavit. *Lips. in Hist. Hall. cap. 33.* Tu debiles, fervore tui ſpirituſ reddis fortes, ac robustos, ita ut de tuis bellatoribus dici poſſit: Fortiſſimi bellatores ejus. *Bernard. Bust. Part. II. Mar. Serm. 2.* S. Maria, &c. *Pag. 177.*

5. Avenionem, juxta Aurelios ſitam, graviter hostis obſidebat, hoſtis tantò formidabilior, quanto fu- rioſa magis ſolet eſſe hærefiſis, dum rebus

rebus secundis elata insolescit. Horum igitur furori expositi Cives, ab omni alia spe depulsi, imaginem Matris Virginis supra muros Urbis collocant. Successit Avenionensibus consilium. Hostes quippe visâ Virginis effigie tanto pavore exanimes hæsere, ut in lapides obriguisse credidisses, nisi projectis armis diffugissent. *Vincent. Beluvacen.* Nullæ sunt Adversariorum vires, quæ te opitulante, non propulsentur. *Leo Imper. cognom. Philosophus.* S. Maria, &c. Pag. 177.

6. Quæ nulli deest invocanti, etiam Theodorico cognomento Magno, implorata opem tulit Virgo, quâ fortior factus, Arianos paulò antè sibi insultantes, & Catholicorum repositam in Sanctis fiduciam deridentes ita cæcidit, ut testati sint, humanâ sibi majorem vim restitisse, quando Catholicis cedere compulsi essent. *Sozomenus lib. 7.*

*Cap. 4.* Benedicta sis Domina, quæ  
instruis servos tuos ad prælum, &  
eos roboras contra inimicum. *S. Bonav. in Psal. 143.* Sancta Maria, &c.  
*Pag. 177.*

7. Petrus, Alphonsi Arragonum  
Regis Frater, dum Anno 1439. Nea-  
polim obsidet, ut simul Cœlum op-  
pugnare videretur, tormenta con-  
tra templum DEI paræ de industria  
explosit. Dissuadebat Rex frater  
impium facinus, nec priùs tamen Sa-  
cilegus oppugnator Templum tor-  
mentis petere desiit, quām tormen-  
ti globo capite truncatus concide-  
rit. Capite sic contrito, nec re-  
liquum exercitus corpus diu stetit  
inconcussum: secutæ quippe ingen-  
tes procellæ, obfessorem militem à  
mœnibus repellunt, quasi mare tan-  
tum nefas cluere voluisset. *Thomas  
Costus in Adv.* Fulgure, & corusca-  
tione dissipat inimicum, mitte jacula  
tua,

tua, ut confundas illum. S. Bonav.  
Psal. 143. S. Maria, &c. Pag. 177.

8. Quarta mensis Junii dies, festivâ Gallis celebritate colitur, quâ grati etiamnum Virgini grates dicunt, quòd secundo Galliarum Rege, MARIAE invocatæ patrociniô, Anglorum sœvitiam victores represserint. Angli quippe hæreticâ labe infecti, sacra omnia, profanâque igne, ferróque vastabant, donec acrius diëti Regis ferrum senserunt. Stat etiamnum facellum Matris DEI cultui sacrum, Victoriae hujus monumentum. *Gaguinus de gestis Francorum lib. 6.* In nomine tuo, ô MARIA ! spernemus insurgentes in nos. Rich. à S. Laur. S. Maria, &c. Pag. 177.

9. Defuncto Joanne Austriaco, Gandavenses Hæretici, ùt DEO, ita Regi suo Infideles adversùs res sacras, & Catholicos, plus, quàm dici possit, grassabantur ; nec eorum viribus

ribus ( viginti enim millia Heterodoxorum numerus exæquabat ) audebat se ullus murum opponere. Donec Comes Egmondanus arrepto Vexillo, quod Imago DEIparæ fortunatum esse fecit, collectis quinque Catholicorum millibus, contra impiam turbam procedens, invocatis ante prælium sanctissimis JESU & MARIÆ nominibus, feliciter dissipavit, & ab hæreticis injustè priùs occupata recepit. *Hist. Eccl. Hisp. lib. 3. cap. 4.* In te inimicos nostros ventilabimus cornu. *Psal. 43.* S. Maria, &c. *Pag. 177.*

10. Dies erat DEIparæ natalis, quem impia Comitis Palatini militum audacia ausu temerario non parùm funestavit. Ipso namque die Cassulam hostiliter adorsi, omnia flammis, ferróque populabantur. Rei indignitas DEIparam in commiserationem movit, nam visa est de horum insolentiis apud Filium que-

queri, & pro Cassulanis intercedere. Quid hic pie lector expectas? Tumtuabantur quasi jam Victores hæretici, & inopinus adest Comes Walramus, qui eos ad internecionem usque cæcidit. Dux iniquitatis Sybodo, quamquam subditis equo calcaribus fugam urgeret, occultâ tamen vi detentus, & concisus pœnas dedit. *Cæsarius l. 7. c. 43.* Manus tua gentes disperdidit. *Psal. 43.* S. Maria, &c. *Pag. 177.*

II. Tempelius Bruxellensium, ut Hæreticorum, ita Rebellium caput, iteratò Hallas invasit, eo nuncio factus audacior, quo locum non nisi à 40. Tyronibus custodiri accepit. Jam scalas parabat assaultui, jam spolia victoribus designabat, & quod longè impiissimum, se Mulierculæ Hallensi (imaginem DEIparæ à miraculis orbi notam intelligebat) nasum brevi abscissurum minabatur. Non tulit has blasphemias Divina

Ne-

Nemesis, dum enim pleno locum  
agmine aggreditur Hæresis, impii  
oris Tempelius glande ad faciem  
ictus, effræne dictum nasiprivo mul-  
tatus solvit, & reliqua Hæretico-  
rum lues irrito conatu retrocede-  
re est compulsa. *Lips. in Virg. Hall.  
cap. 7. S. Maria, &c. Pag. 177.*

12. Pervicax Hærefeos rabies  
pluribus jam annis Regi suo refræ-  
ctaria, totam in Ungariæ, Austriæ-  
que perniciem Turcæ potentiam  
evocaverat 1683. dum 200. Turca-  
rum millia Viennam inexplicabili  
furiâ & conatu, 14. Julii cæperunt  
oppugnare. Stetit tamen incon-  
cussa Viennæ incolumitas, dum pro  
ea, Sabbathino in pane, & aqua je-  
junio indicto, & precibus ad MA-  
RIAM Auxiliatricem Passavii sup-  
plici ritu fusis Augustissimus Cæsar  
Leopoldus pugnabat. Quo factum,  
ut immanis illa Barbarorum multi-  
tudo, Dom. infra Natæ Virginis o-  
cta-

Etavam, feliciter Castris exuta, ac Urbe sit depulsa. Agnovit MARIÆ opem exercitus noster, nam Urbem ingressi cum Serenissimo Rege Poloniæ Joanne III. Belliduces, primùm ædem Virginis Lauretanæ, gratias pro Victoria relaturi, adiêre; ac in perpetuam rei tantæ memoriam, SS. D. N. Innocentius XI. Officium de Nomine MARIÆ, in Ecclesia Universali, ea die recitari præcepit. Fecit MARIA potentiam in brachio suo, dispergit superbos. Sancta Maria, &c. *Pag. 177.*

13. Princeps Schismaticorum, præsidium adversum Julium II. congregatorum Bolonia fuit; hanc proinde Ecclesiasticis armis ad obedientiam cogere sedes Pontificia dum laborat, res accidit relatu dignissima: occultis petebatur Urbs cuniculis, nec raro integræ Civitatis Cortinæ solo erutæ vias parabant assaultui, inter reliquos eo unus

suc-

successu exarsit cuniculus, ut ædem  
B. V. de Baracano dictam fundamen-  
tis suis crutam, procul in aëra sub-  
limaret. Mirum dictu! Nîl diruta  
Virginis ædes, nîl concussa ad eun-  
dem, quo steterat, locum recidit,  
quod patratum mirâ Virginis beni-  
gnitate miraculum satis fuit, ut  
pertinaces Schismaticorum animi  
mitescerent, & Vaticanæ sedi Bo-  
loniam subderent. *Hist. Pont. tom. 2.  
lib. 6. cap. 23.* roganda est assiduè MA-  
RIA, ut se Turrim fortitudinis nobis  
exhibeat à facie inimici. *Rich. à S.  
Laur. lib. 1. cap. 2. de Laud. B. Virg.  
S. Maria, &c. Pag. 177.*

14. Anno 1489. Philippus Cli-  
vius seditiosorum antesignanus Hal-  
las oppugnabat; jámque muros non  
parvâ ruinâ straverat. Ubique pe-  
riculum, clamor, consternatio.  
Cives ad S. MARIAE ædem, tan-  
quam ad asylum convolant, orant,  
vota nuncupant; sicque roborati-  
ferun-

feruntur in hostem. Pugnatur acriter. Tandem multâ suorum cæde Philippus repellitur, ipse quoque fassus, Numen sibi palam repugnare. *Lips. in Hist. Hall.* Ego murus, & ubera mea sicut Turris. *Cant. 8. S. Maria, &c. Pag. 177.*

15. Maximilianus Cæfar, junctis cum Pontifice copiis contra Venetos, excommunicatione recenti damnatos, arma movet, & verò etiam faustus expedit. Quo in confliktu MARIAM sensit auxiliatricem, cuius opem in Ecclesia Hallensi frequenter implorabat, ibidemque donis amplissimis gratum se exhibuit. *Idem. c. 35.* Recordare, quod Turris fortissima nomen Dominæ nostræ sit. *Rich. à S. Laur. lib. 1. cap. 2. de Laud. B. Virg.* S. Maria, &c. Pag. 177.

16. Prope insulam S. Helenæ, Navis Hispana navigans, ab Hollandicis Navibus circumventa periclitari

tari cæperat. 600. Lusitani Nautæ viribus impares ad DEIparæ subsidium implorandum se, spémque suam conferunt; ejus imaginem in sublimi collocatam tamdiu orant, donec Victoriam contra Hæreticos exoraverint, integrum enim Hollandorum Classem navis hæc unica feliciter elusit. Nam tormentorum globi, quos hostis mittebat frequissimos, per medios Lusitanos innocui pertransibant. *Joannes de Sanctis lib. 4. cap. 24.* Nemo Catholicon, nisi ipse velit, infelix esse potest. *S. Maria, &c. Pag. 177.*

17. Julius II. Pontifex Maximus, Patrimonium S. Petri, scelestâ Hæreticorum avaritiâ pessum datum, repetiturus Anno 1512. Laureti DEIparam, quâ precibus, quâ votis adeò sibi demeretur, ut inter furentium hostium machinas illæsum Virgo conservaverit, & globi ferrei idem, in Pontificem displosum, ab

ejus capite, averterit, in Capite toti Ecclesiæ Corpori conferens beneficium. *Tursell. lib. 2. cap. 12.* Domina mea, in te speravi, de inimicis meis libera me. *S. Bonav. Psal. 7.* S. Maria, &c. *Pag. 177.*

18. Sui muneric partes esse judicabat Julius II. Pater Sanctissimus, ut Bona Ecclesiæ, vel vi, vel fraude Hæreticorum ab alienata reduceret; quem in finem, præter armorum potentiam, quam contra Heterodoxos expediverat, fortius ipse Laurentana in æde Virginis pugnabat, cum pro felici armorum Catholicon successu assiduus preces fundebat. Et verò vicit Pastor optimus, nam Parmam, & Mirandulam ab injusta hostium possessione vindicavit. *Idem.* Exaudi Domina orationem meam. Esto mihi turris fortitudinis, me tuearis à facie crudelis vastatoris. *S. Bonav. Psal. 59.* S. Maria, &c. *Pag. 177.*

19. I conoclastarum furor Ecclesiastis passim vastabat Anno 1566. qui Antverpiam pari cum reliquis temeritate invasit, dum PP. Ordinis S. Francisci Templum aggressa Hæretorum colluvies, mirâ in lapides, & ligna feritate desæviebat. Erat inter reliquias, è ligno fabrefacta DEIparæ statua, immaculatè conceptam Virginem repræsentans, ut pote quæ stellis coronata, sole vestita, & Lunâ calceata erat. Hanc, altaribus omnibus dirutis, Hæretorum audacia comminuere labrabat, sed invanùm, licet quippe lapidem omnem moverent, hanc tamen statuam, nec loco movere potuerunt. *Locrius lib. 2. cap. 11.* O. stende Domina potentiam tuam, contra inimicos nostros, ut procul in Nationibus sanctificeris. *S. Bonav. Psal. 69. Sancta Maria, &c. Pag. 177.*

20. Sub ipsa Lutheranismi exordia,

dia, bellum inter Hispanos & Gallos recruduerat. Hi Juliobricam Urbem obsident. Friderici Ducis Albani uxor, mulier à fiducia in DEI param commendabilis, repentinâ obsidione circumventa, illud Urbi tuendæ consilium iniit, ut ejus in tutelam, Virginem invocaret plus igitur hæc de Rosariis B. V. quām de armis sollicita, multa Rosariorum millia in milites distribuit, qui hâc pietate & urbem conservârunt, & Copiis aucti Gallos parùm pios profligârunt. *Joan. Lopez. l. 2. de Mar. c. 15.* Plus globuli Mariani hostem torrent, quām tormentorum globi. *S. Maria, &c. Pag. 177.*

21. Nordlinga diu oppugnata, tandem festo natæ Angelorum Reculæ die, Duci Ferdinando Austriae in prædam, vel Marianæ potius devotionis præmium cessit 1634. Hostis quippe ut hæreticus, ita Malyris DEI contemptor scelestissimus, plu-

Gal pluribus DEI paræ Imaginem glan-  
cam dibus perforaverat, quorum scelus  
ulturi, arma justæ sumpserunt Ca-  
tholici, quibus ita MARIA adstitit,  
ut & temeritas illorum gravi cæde  
castigata sit, & Urbem simul Maria-  
no honori dedicandam deferere  
et sint coacti. *Nieremb. in Tropb. Mar.*  
*V. lib. 2. cap. 84. MARIAM non amat,*  
*qui ejus hostium est amicus. S. Ma-*  
*ria, &c. Pag. 177.*

vâ. 22. Francisci Urbinatis Exerci-  
tus, non magis Leonem X. Pontifi-  
cem oppugnare, quam opum, pio-  
rum devotione collatarum, illiciō  
provocatus, Lauretum deprædari  
contendebat. Quod facinus inhuma-  
num, à brutis ipsis castigari Cœ-  
lum voluit, primum quippe scelera-  
torum agmen à lupis fædè laniatur,  
cæteri ad primum ædis Laureatæ  
conspectum extremo pavore territi,  
lymphatis similes trepidabant. *Tur-  
sell. in Hist. Laur.* Adeò nec DEI Ma-

ter inter divitias est secura. S. Mater, &c. Pag. 177.

23. Ambrosius Spinola, Catholici Exercitūs Ductor, Bredam obse-derat 1925. cūmque non vano co-natu Urbem pressisset, Mulier quæ-dam ex obsessiis se Prophetam men-tita, vaticinari cæpit: Urbem certò oppugnantium manus subituram, nisi B. V. statua (quæ hæc tenus in-ter Hæreticos Urbem tenentes illæ-sa manserat) comminueretur. Ra-tum Hærefis habuit Consilium, & pro innato in DEIparam odio, ce-lerrimè accurrint Civitatis Prima-tes, dictam DEIparæ statuam scele-stissimè petunt, & in mille, fragmen-ta dilapidant. Hostium in ea vires se infregisse rati, quas tum auxerunt maximè; Urbs namque Catholicorum armis expugnata, Victorum manus victa subiit. *Herm. Hugo in Hist. obsid. Bred.* Excita furorem Do-mina, & memento belli, super ini-mi-

amicos tuos effunde iram tuam.  
S. Bonav. Psal. 54. S. Maria, &c. Pag.  
177.

24. In freto Insularū Philippinarum, vela facientes Catholicorum naves, in durissimas impegerē cautes, dum à Batavicis circumventæ sunt navibus; hæ namque & viribus, & numero superiores, certum illis minabantur exitium. Nec tamen omnem Catholici animum desponderunt, qui promptissimam in desperatis esse MARIÆ opem frequentibus hactenus exemplis didicerant. Ejus igitur pugnaturi auspiciis, Immaculatam Virginis conceptionem pro belli tessera nominant, & illustrem contra Fidei, & MARIÆ hostes victoriam obtinent  
1617. Franc. de Torres lib. de Concept. Tu nequissimi hostis contra servos tuos invasiones, solâ nominis tui invocatione repellens, tutos, atque incolumes servas. S. German. Pa-

*triar. Constant. orat. de Zon. DEIparæ.  
S. Maria, &c. Pag. 177.*

25. Impia Hæreticorum rabies in DEIparæ statuam desæviit Anno 1638. Scelus ulturus Mariani honoris propugnator eximus Ferdinandus Austriacus Cardinalis, Calloam pergit obsessum; Nec diu laboratum; dum enim ille pro MARIA, hæc pro Ferdinando pugnabat: nam uno prælio cæsis hominum 7. millibus, navibus 85. interceptis, ereptis 49. Vexillis, ac acquisitis 23. tormentis, glorioſus viator triumphavit, 21. Junii. Urbem ingressus, Imagini DEIparæ in perpetuam rei memoriam subscripsit pius Cardinalis: *Victus cecidit Hollandus; qui cæcidit Ferdinandus, Virgini dat gloriam. Ut hanc sæpe possit dare, tūque Virgo triumphare, sæpe da Victoriam.* Barth. Rios. lib. 2. Mem. Mar. cap. 19. *Innova signa, & immutam mirabilia, sentiamus adjutorium—bra-*

brachii tui Domina! S. Bonav. Psal.  
54. S. Maria, &c. Pag. 177.

26. Iterum Vindicem Ferdinandi dexteram Hæreticus furor armavit. Hollandis enim Geldriam, gravi obsidione prementibus, medelam latus accurrit Princeps optimus, & invocatō DEI Genitricis patrociniō, quam sub ipso pugnæ æstu identidem ingeminabat, ita hostes aggressus cæcidit, ut trium, non amplius, horarum spatiō hæsim exarmaverit, dum Castris exutam, & 4060. suorum Capitibus imminutam loco cedere coēgit. In primatu Tolet. p. 4. c. 4. §. 18. Insuperabilem ô Domina spem tuam habens servabor, defensionem tuam possidens non timebo. Cosmas Hierosolym. S. Maria, &c. Pag. 177.

27. Ludovicus, magni MARIAE amatoris Philippi II. Regis Galliarum superiùs laudati Filius, ab eodem filialem in DEIparam fiduciam

didicit, quam tum ostendit maximè, dum contra Pictavos arma expediturus, votum Sylvaneætensi DEI paræ nuncupavit; & eodem tempore, quo Pater de Anglis, Ludovicus de Pictavis, uterque de MARIA hostibus triumphavit.  
*Merserus ad annum 1214.* MARIA Syro sermone Domina interpretatur, quæ non solum potens est ad muniendum confugientes ad eam, tanquam turris, sed & hostes insequentes potest expugnare. Rich. à S. Laur. lib. I. cap. 2. de Laud. B. V. S. Maria, &c. Pag. 177.

28. Tanta Hæresum tempestas in Ecclesiam DEI concitata fuit 1569. ut omnem prope avitæ Religionis florem decoctura timeretur. Nam Hæreticis, in Gallia & Belgio in res Catholicas sævientibus, piorum omnium, maximè tamen optimi Pastoris Ecclesiæ, B. Pii V. animos sollicitos reddidit, quâ potissimum  
arte

arte pesti huic iretur obviam. Ad Virginem confugere Pontifex statuit, & indictis per Ecclesiam precibus, Catholicorum agmen Duce Sfortia S. Floræ Comite, contra Heterodoxos eo eventu misit, ut brevi eosdem cum plausu reduces conspexerit, 3. Octob. *Angelus Rocha in Bibl. Vatic.* Necessarius est cui libet aliquis refugii locus, quo velut in asylum se recipiat subitis, adversisque rebus, nullus autem tutior est pallio Reginæ Cœlorum. *Joannes Bercm. S. J.* Sancta Maria, &c. Pag. 177.

29. Celebreū Clientibus suis vīctoriam contra Hæreticos concessit sanctissima Virgo, dum Dux Guisius tantâ eos clade affecit, ut iniquitatis illius Dux, ob hanc suorum cædem supervivere nolens, sibi ipsi violentas inferre manus decreverit; sed mitigatò demum consiliō, venenum sibi per Chirurgum dari jussit,


quo mortem hausit, & moriens, pestilenti orbem carcinomate liberavit. *Crespetius in troph. Mar.* Persequar inimicos meos, & in fugam vertam, solam habens, ut thoracem, protectionem tuam ô Domina, & omnipotens auxilium tuum. *Cosmas Hierosolymit.* S. Maria, &c. Pag.

177.

30. Nihil tam sanctum, quod non violare præsumat impietas, maximè si sit armata. Aigulphus Longobardorum Rex grandi coacto exercitu in Rom. ditionem irruperat, Ecclesiæ tum præsidente Zachariâ Pontifice. Hic partes intentus in omnes, suorum commodis providebat ; priusquam tamen æmulum pugnantium agmen Hæreticis obiceret, supplicatione per Urbem institutâ ad ædem S. MARIAE Majoris, id impetravit, ut victoria à suis steterit, hoste procul exacto. *Siginius in Hist. Ital. lib. 3.* Si persequatur

tur inimicus animam meam, Domina adjutoriō tuō confortetur , & vibrantem ejus gladium averte à me.  
S. Bonav. Psal. 7. S. Maria, &c. Pag.

177.



## OCTOBER.

I. **U**RBS Salinarum documento est, quanto afflictarum Urbium bono DEIparæ templa struantur. Urbem hanc intus pestis, foris hostis , fames insuper intoleranda stringebat : pudori violentia insolens, Religioni Hæreticus furor, Turcico nîl melior, insultabat. Omnia desperata ! in solaspem habere MARIA jussi Cives , Sacellum unanimi voluntate Virgini se posituros vident, si malis eximantur ; & statim à mœnibus hostes , à domibus pestis, ab agris & gregibus fames sine induciis abscessere. Guilielm. Gum-

*penb. in Atl. Mar. Jacta cogitatum  
tuum in Dominam, & ipsa te enu-  
triet. Richard. à S. Laur. l. 2. de Laud.  
B. Virg.*

S. MARIA victrix (a) hæreſeon  
gloriosissima, aperi piæ commisera-  
tionis oculos, & vide afflictionem  
devoti tibi populi verè Christiani,  
hostiūmque illius dolosa, fraudu-  
lenta, & superba consilia deſtrue,  
quibus animarum virus ubique  
ſpargere, & avitam Religionem no-  
ſtram funditus evellere conantur.  
Leva manus potentia tuæ in super-  
bias eorum, qui ſuper populum tu-  
um malignaverunt conſilium, & co-  
gitaverunt adverſus clientes tuos;  
ne forte dicant in gentibus: Ubi  
eft MARIA eorum? ſed agnoſcant  
quoniam tu Adjutrix & Protectrix  
noſtra es, ulcifcens in omnes adin-  
ventiones eorum: Tu clypeus no-  
ſter,

(a) *Frid. Forn.*

ster, (b) tu Turris inexpugnabilis  
omnium verè fidelium.

Nota : *Hæc clausula quotidie repe-*  
*situr.*

2. Civilis belli tumultibus tan-  
tò periculosis res Catholica labo-  
rabat in Polonia Anno 1603. quan-  
tò intestina remotis magis nociva  
sunt prælia. Rex, & Regina vota ad  
B. V. Claromontanam concipiunt;  
dumque Rex obviam seditionibus  
movet, Regina coram DEIparæ ima-  
gine orans tamdiu à pavimento a-  
velli non potuit, quamdiu dissipati-  
tos à Rege tumultus non intellexit.  
Rex in DEI Matrem gratus, elegan-  
tem ex argento lampadem, suâ ma-  
nu, & arte laboratam donô misit.  
*Maximil. Sand. Pag. 616.* Quæramus  
gratiam, quam quærimus, per MA-  
RIAM; quia qui sic quærit, inve-  
nit. *S. Bern. Serm. de Nativ. B. Virg.*  
*S. Maria, &c. Pag. 202.*

3. Hen-

(b) *S. Joan. Dam. & Idiota.*

3. Henricus I. posthabitâ Sacrorum reverentia, Ecclesiastica bona prædabatur, & falce in alienam messem immissâ, D. Petri patrimonium suis usibus vendicabat. Huic obviare sui muneris esse ratus Leodiensis Urbis Episcopus, priusquam acie cum Ecclesiarum prædatore congrederetur, suos omnes positis humi genibus B. V. patrocinium tenero affectu invocare jussit; sic animatus felicem contra hostem Ecclesiæ victoriam est adeptus, qui ei cum herba, bona pariter Ecclesiæ porrexit Anno 1213. *Odonius Raynal. tom. 13. Nomen MARIAE devote nominari non potest, sine nominantis utilitate. Bonav. inspec. c. 8. S. Maria, &c. Pag. 202.*

4. Mathias Corvinus Rex Ungariæ frequentes cum Hæreticis, recenter in Bohemia ortis, conflictus habuit, donec tandem post varia justo

justo septennio, tum in Bohemia,  
tum in Moravia confecta prælia, o-  
pe B. V. avitæ Ungariæ Patronæ,  
totam sibi cum Moravia Lusatiam  
vendicâsse, cui etiam in belli hujus  
tam pii munus videtur cœlum in-  
dulsiſſe, ut Pontifice, & Friderico  
Imperatore approbantibus, Rex Bo-  
hemiae coronaretur. *Joan. de Thurocz.*  
*in Chron. Ung. ad an. 1464. fol. 175.*  
Quidquid gratiarum, quidquid vir-  
tutum mundus accipit, emissiones  
tuæ sunt, ô DEI para. *Rup. in Cant.*  
*S. Maria, &c. Pag. 202.*

5. Brito quidam, pietate in MARIAM, quam genere nobis notior,  
totam in Psalterio Virginis spem  
suam videbatur collocâſſe; nam à  
30. Hæreticis provocatus congredi  
non est veritus, sed Psalteriū gladii  
capulo imponens, se tentando certa-  
mini promptū offert. Res mira! eo  
terrore Britonis generositas Hæreti-  
cos perculit, ut oinnes diffugerint,  
& u-

& unum contra 30. Victorem sint testati. *B. Alanus de Rupe P. 5. c. 86.* Non est beneficiorum tuorum, ô Virgo, numerus. *S. Germ.* *S. Maria,* &c. *Pag. 202.*

6. Eundem, de quo proximè suprà egimus, militibus suis Ducem elegit Comes unus aliquis cum Hæreticis conflicturus; nec recusat munus Brito, eâ tamen lege, ut in vexillis omnibus, singulisque commilitonum scutis Rosarium Deiparæ pingatur: quô factô, vix venit, jam vicit; Hæreticis quippe Catholicî flammeis pugnare gladiis sunt conspecti. Quâ rei novitate commotus Hæreticorum Dux ad Britonis pedes vietus accidit, & petitâ temeritatis veniâ fidem se Catholicam amplexurum spopondit. *Idem in Psalt. Virg.* Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis. *S. Maria, &c.* *Pag. 202.*

7. Alanus quidam miles, S. Dominici prædicatione doctus, quotidianæ psalterii Mariani recitationi assueverat: & profuit constans Alano devotio; nam cùm aliquando paucis comitatus in Hæreticorum manus incidisset, lymphatico eorum furori viætima sine dubio cecidisset, nisi orationum ejus memor clementissima Cœli Domina 150. lapides prægrandes in hostium castra projecisset, quibus territi dispulsique Hæretici suam Alano libertatem concesserunt. *Idem c. 41.* Non est, qui liberetur à malis, nisi per te, ô DEIpara. S. Germ. Sancta Maria, &c. Pag. 202.

8. Infensissimus Christiani nominis hostis Julianus Apostata, eos post redditum è bello Persico falsis suis Diis victimam devoverat. Territi, barbari hominis feritate viri pii, ad thronum gratiæ MARIAM confugiunt, ei se cum Christianitate tota

tota commendantes, nec surda præteriit aure preces Mater misericordiæ; nam precibus S. Basili exorata, Divum Mercuriū Martyrem destinavit, qui Christianos contra sacrilegum invasorem tuiturus, eum confudit. *Nazianz. orat. 2. contra Julia.* Nihil eorum, quæ velis efficere, potest aliquatenus effectu carere, gloria DEI Genitrix. *S. Ansel. S. Maria, &c. Pag. 202.*

9. Nobilis quidam Belga octo equitibus comitatus, in octingentorum Hæreticorum manus improvidè inciderat Anno 1590. Hæc quia fugiendi nulla patebat occasio, nec aliud hostiles evadendi manus suppetebat medium, gloriosè mori statuens, invocatō DEI paræ Lauretanæ subsidiō, hosti restitit. Quem finem Lector præstolaris? Octo Catholici contra octingentos Hæreticos tam strenuè decertarunt, ut nullo ex illis læso, hos fugaverint.

Tursell. Hist. Laur. lib. 5. cap. 18. Non  
deest MARIÆ potestas , quia est  
Mater Omnipotentiæ ; nec volun-  
tas , quia est Mater Misericordiæ.  
S. Bern. S. Maria, &c. Pag. 202.

10. Elizabetha Angliæ Regina ,  
imò Furia, contra rem Catholicam  
ab orco submissa , dum Ecclesiæ Pa-  
stores immanissimo furore persecu-  
ta ad gladios , & rogos sollicitè  
quæreret , Hibernus quidam Epi-  
scopus impiam innocentium lanie-  
nam declinaturus fugit ; ibant illi-  
co qui fugientem retraherent , &  
bis eâdem in navigatione assediti  
captivâssent, nisi votô ad B. V. con-  
ceptô, admirabili prorsus modo per-  
secutorum manus evasisset. Idem l.5.  
c, 51. Discant homines, omnia ob-  
tineri posse à DEO per MARIAM.  
Niceph. S. Maria, &c. Pag. 202.

11. Cathaginis Indicæ Guber-  
nator pyratas Hispanis rebus admo-  
dum noxios Anglum & Hollandum  
patie-

patiebatur. Milites contra eos expedit, sed ut certius vincerent, bene armatos: nam singulorum collo Rosarium DEIparæ Virginis imposuit. Mira, sed tamen felix armorum ratio: hostes quippe felicissime profligati, captique, fassi sunt, se in vexillis Hispanorum imaginem B. V. vidisse; pictam illi rebantur, sed ipsam fuisse DEIparam agnovere. Hispani, cum nihil praeter regia insignia, ullum vexillum pictum habuerit. *Tamajus tri:* 122. Hostes contra servos suos, solâ sui nominis invocatione, sanctissima Virgo repellit, & tutos ac incolumes servat. *S. Germ. de Zon. Virg.* S. Maria, &c. *Pag. 202.*

12. Carolo VII. Galliarum moderatore, Carolus Anglorum Rex frequentibus Galliae depopulationibus se corrialem coronæ ostendebat: quibus afflictus injuriis Rex Galliæ, B. V. supplex factus rogabat,

bat, ut si ipse legitimus Francici Regni hæres esset, regnum tueri adjuvaret. Valuere preces, nam cum Rege æmulo congressus, ita litem ferrō decidit, ut prostratis Anglorum copiis solium suum roboraverit Carolus Galliarum moderator. *Balingh. in Paralipom.* Adesto mihi Auxiliatrix, hostiles quoscunque impetus à me avertens. *S. Ephrem. in lament.* *Virg.* *S. Maria, &c.* Pag. 202.

13. Joanna Lotharinga ad Herroum usque invidiam Amazon fortissima, Aureliis, & ex Galliæ Civitatibus felici armorum successu Anglos exegit, nec alio externi cujuspiam Regis adjuta fœdere, quam quòd Cœli Reginam armis suis fœderatam assumpserit! in principe quippe exercitus vexillo, Angelica salutatio aureis descripta literis erat, quo hostium castris illato, simul cædes & pavor inferebatur. *Idem ibidem.*

*ibidem.* Sic DEUS MARIAM exaltavit, ut ei omnia possilia esse donaverit. *S. Damasc. lib. 1. de Dormit. V. S. Maria, &c. Pag. 202.*

14. Valencenas obsidione cinxerat Turenius Gallus Dux Hæreticus, quem nimium in solescentem timere Cives cœperunt: quare supplicatione nudis pedibus ad ædem B. V. ductâ, adjectâ sponsione lycni ingentis argentei, si Civitas obsessa liberaretur, Urbis tutelam MARIÆ commendârunt. Necdum omnem devotionem finierant, cum adest Joannes Austriacus, hostemque à mœnibus arcet, vexillo principe ædi B. V. illato, cui circa Immaculatæ Conceptæ Virginis iconem, pia Ecclesiæ oratio: *Sub tuum præsidium, &c.* inscripta fuerat. *Nierem. in troph. Mar. l. 2. c. 46.* Nulla gratia venit de cœlo ad terram, nisi transeat per manus MARIÆ. *S. Bern. S. Maria, &c. Pag. 202.*

15. Anno 457. vitâ piè defunctus est Marcianus Imperator 26. Jan. qui primò in Cæsaream potestatem electionis die Hæreticos recens obortos premere, ac exterminare constituit, adeoque severam adversùs Eutychianos sanctionem edidit, cui parere renuentes, DEI paræ auxilio, velut juratos ejus hostes ferrô ad obedientiam cogere laboravit, & Pontificem eò permovit, ut iis publicè damnandis Concilium Generale indixerit. *Balingh.*  
*in Kal. 26. Jan.* Citiùs cœlum & terra perierint, quam MARIA aliquem feriò se invocantem spe destituat.  
*Blosius.* S. Maria, &c. *Pag. 202.*

16. S. Joannes Chrysostomus, ut Hæresum omnium osor erat acerrimus, ita præ reliquis Arianos execrabatur, eò quam maximè, quod intemeratam Virginem, DEI fuisse Matrem impudentissimè negarent. Contra hos igitur favente Imperatore

tore bellum movit, & quia sperabat DEI param suæ causæ non defuturam, ejus patrocinio fretus Arianos omnes Constantinopoli expulit, & in Christianorum mentibus Matris DEI cultum amplius radicavit. *Idem*  
*27. Jan.* Verè tu Domina es misericordiæ, quia non est in hac vita tam desperatus, cui non impetres misericordiam. *S. Bonav. in stim. a- mor. S. Maria, &c. Pag. 202.*

17. Jussu Michaëlis III. Imperatoris in Oriente, prima Quadragesimæ Dominica solito majori celebritate colebatur Constantinopoli, in piam memoriam, quod 842. impia DEIparæ hostium Iconoclastarum Hæresis, quæ Authore Imperatore furens in Ecclesiæ damnum sævierat, speciali DEI, ejusque Matris auxiliō penitus fit excisa, totoque Orientali Imperio desolatæ Ecclesiæ pristinum in decorem restitui cœperint. *Caroplates.* Dum MA-  
RIAM

RIAM Matrem DEI nominamus,  
simul Reginam potentissimam cœli,  
ac terræ dicimus. *S. Bernardin. Sen.*  
*Ser. 42. S. Maria, &c. Pag. 202.*

18. Pater Thomas Saillius Societatis JESU Castrensis in bello Catholicó Missionarius, edictum à Duce Parmensi in castris impetravit, ut sub auroram omnibus castrorum tubis certatim assontibus B. Mater MARIA Angelicâ salutatione ter repetitâ, per omnia militum contubernia, salutaretur. Cujus pariter suasu, Dux probissimus pro labaro militari imaginem DEI paræ scitè depictam stationibus præfigi jussit, & vicit. *P. Anton. Baling. 8. Martii.*  
*Quidquid habere desideras, per manus Beatissimæ Virginis humiliter roga. Thom. Kemp. Sancta Maria, &c. Pag. 202.*

19. Pluribus annis castra Catholicorum secutus P. Thomas Saillius Societatis JESU, multis Urbium

expugnationibus præsens semet-ipsum, inter tot pericula, sine vulnera semper illæsum permanansisse mirabatur, nec nisi Mariano Rosario acceptum hoc se referre ajebat, quod ipse, quoties ad arma clamatum erat, balthei instar ab humero per transversum pectus ostendebat, eâque munitus loricâ, per medias cadentium turbas, intrepidus ibat, morientes ad æternitatem feliciter inchoandam disponens. *Ibidem.* Non est tutior locus ad latendum, quàm sinus MARIAE. *Thom. Kemp. Serm. 5. ad Novit. S. Maria, &c. Pag. 203.*

20. Annua fit Carnuti supplicatio ad ædem DEIparæ de *Ruina* di-stam, cuius devotionis originem eam dant Annales. Anno 1586. Hæretici Urbem hanc obsidebant, & imaginum omnium osores, frequentibus iconem DEIparæ explosionibus sceléstissimè inhonorabant: e-jus

jus invocatō patrociniō Cives 14.  
 Martii, obsidione occultâ vi solutâ,  
 pristinâ libertate frui cœperunt, &  
 Sospitatrici etiamnum grates con-  
 cinunt. *Hist. Eccl. Carnut.* Nemo, ô  
 Domina, tam idoneus est, ut gladio  
 manum pro nobis objiciat, ut tu  
 DEI Mater amantissima. *S. Bernar.*  
*Serm. 3. de B. Virg.* *S. Maria, &c.*  
*Pag. 202.*

21. Repulsa nuper, iterum Carnutum impudens Hæreticorum col-  
 luvies impetiit, & in ope DEIparæ  
 confidentibus Civibus insultans ob-  
 trudebat: non plus posse in ea Ci-  
 vitate MARIAM, quam potuerit  
 olim Diana Ephesi. At contrarium  
 eventu didicerunt, cum enim in ex-  
 positam super mœnia DEIparæ ico-  
 nem majora, etiam iteratò, tormenta  
 direxissent, & omnem muri stru-  
 cturam circum diruissent, sola Vir-  
 гинis imago stetit inconcussa, Ur-  
 bēmque secum ab hostibus illæsam

conservavit. *Dionys. Rovillard. in Hist. Parth.* Non fui causâ Virgo progenita est, sed ut Orbis universi saluti administram se præberet. *Pet. Dam. or. 1. de Nat. Virg.* Sancta Maria, &c. Pag. 102.

22. D. MARIÆ Majoris in Urbe Basilicam Anno 432. Xistus Pontifex Maximus jam ruinas minantem, restauravit, ac summâ magnificenciâ exornavit. Occasionem tantæ in DEIparam liberalitatis gratitudo dedit, quâ obligabatur ob victoriam contra Nestorium impium Hæresiarcham reportatain, ut quotquot templum illud intrarent, MARIAM pro Ecclesiæ contra Hæreticos immunitate impetranda rogarere recordentur. *Schraderus lib. 2. monum. Ital.* Tanta est Virginis hujus misericordia, ut ab ea, nemo repellatur. *Idiota. S. Maria, &c.* Pag. 202.

23. Philippus III. Hispaniarum Rex

Rex piissimus, in DEIparam erat liberalissimus, adhuc juvenis Patrem in itinere Aragonico comitatus, DEIparæ, quæ in valle Venaria colitur, binas ex puro auro coronas obtulit, Filii Matrisque capiti imponendas. Nec passa est munificentissima Virgo se liberalitate superari, hanc victoriis est remunera-ta, nam præter novies centena milia Maurorum Hispaniis expulsa, idem Rex serpentem hæreticæ prævitatis pestem in Germania ac Belgio summâ sedulitate, simul & felicitate cohibuit & compescuit. *Vascellus.* MARIA omnibus sinum misericordiæ aperit, ut de plenitude ejus accipiant universi. *S. Bernard.* S. Maria, &c. Pag. 202.

24. Henricus IV. Galliæ Rex, ut suum fidei propagandæ zelum secuturo etiam Orbi patefaceret, ordinem militarem, sub nomine B. V. M. de monte Carmelo, pro nobili-

oribus è Gallia viris instituit, quorum cura & professio esset, contra Hæreses & Romanæ Ecclesiæ hostes semper in armis paratos vivere. Multis ordo hic à Sede Apostolica donatus privilegiis, sed pluribus è cœlo gratiis nobilitatus fuit, dum sub Patronæ suæ nomine hostibus effecti sunt formidabiles. *Balingh. in Kal. 18. Maji.* Nulla est calamitas, quam non dissipas, quam non illico Virgo disperdas. *Martin. de Magistris. S. Maria, &c. Pag. 202.*

25. Cum tota propè Italia bellorum motibus quateretur, ipsâ Urbiū principē Româ à Calabriæ Duce obfessâ, Sixtus hujus nominis IV. Ecclesiæ Pastor vigilantissimus ad imaginem B. V. *de miraculis dictam accedens, votet, si DEUS, per B. V. MARIÆ intercessionem, pacem Italiæ daret, se templum Dei Genitricis venerationi erectorum.* Quare voti compos factus, Urbe pericolo

ticulo liberatâ, in solo veteri S. Andreæ B. V. voto debitum templum crexit. *Gabr. Penot. in Hist. Can. Reg. Quis est, super quem Misericordia MARIÆ non resplendeat? S. Bonav. S. Maria, &c. Pag. 202.*

26. Gravissima sibi pericula à Carolo Gallorum Rege iminere videns Alexander VI. Pontifex An. 1495. ad humanam prudentiam, quâ se tueri statuit, Divinum etiam adjecit perfugium: nam ad DEIparam accurrens, & conceptis in templo Deiparæ Annunciatæ votis, ejus se protectioni ex asse commisit, quam locupletem expertus est, dum omni se liberum periculo conspexit; affixit promissum voto anathema, quod etiamnum pendet, monumentum spei, quam in gravissimis Reip. Christianæ periculis habere Pontificem decet. *Gianius in chron. Apud MARIAM turbatus habet consilium, destitutus acquirit juvamen. Thom.*

Kemp. serm. 5. ad Nov. S. Maria, &c.  
Pag. 202.

27. Quidam 1586. cō quōd Catholicus esset, Hæreticorum in se rabiem proritaverat, quem in Galliæ Civitate Curca apprehensum. 27. Hæretici omnibus, quos furor, impietāsque suadebat, modis afflixerunt, unus pugionem bene profundè innocentis immergit corpori, alter grande in latere vultur gladiō aperit; tot jam vulneribus sauciis, vix se Montisferrati Virgini commendat, & in puncto Hæreticorum furiæ quasi subtractus invisibilis redditur, & quod ad protectionis Marianæ commendationem facit plurimum, à lethalibus illis vulneribus omnino, paucos intra dies convalescit. *Balingh. in Kal.* Invocato nomine Matris, et si merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt. *S. Ansel. S. Maria, &c. Pag. 202.*

28. Annuâ solennitate celebra-  
tur festum Beatissimæ DEI Matris  
Auxiliatricis 26. die Septembris in  
Frisia, quod grati instituerunt Ci-  
ves, postquam binas insignes con-  
tra Hollandos Victorias obtinue-  
runt, terrestrem unam læsis hostium  
plurimis sanguineari, maritimam al-  
teram mersis inimicis navibus glo-  
riosam. *Hamcomius in Frisia lib. 2.*  
Nulla creatura tot, & tanta, ac ta-  
lia impetrare potest miseris, ut in-  
cessanter impetrat Mater DEI. *Guil.*  
*Paris. in Rbe. Div. cap. 18.* S. Ma-  
ria, &c. Pag. 202.

29. Congregata Hæreticorum  
rabies ad Lacoiam oppidulum, DEI-  
paræ, ac Divorum imagines contu-  
meliosissimis affectas calumniis sa-  
cilegè lacerabant, nec tamen impu-  
nè scelus hoc tulere Divi, nam Anno  
1566. à Norcarmio gravi cede affe-  
cti, vindicem DEI, ac Matris ejus  
manum sunt experti. Victuri fors

æternūm, si debitâ Divorum imagines devotione colere priùs didicis-  
sent. Facta hæc Iconoclastarum strages 29. Decemb. Joan. Buze. Nul-  
lum miseriæ genus, quod non Divi-  
no freta robore prorsus avellat MA-  
RIA. Mart. de Magistris. S. Maria, &c.  
Pag. 202.

30. Innocentius III. Pont. Maxi-  
mus ferre non valens Albigensium Hæreticorum, capitalium DEI paræ  
hostium, pervicaciam, & insanias contra Divos blasphemias, quòd  
neque miraculis à D. Dominico pa-  
tratis, neque doctrinæ veritate, aut  
vitæ sanctitate moverentur, sacrum  
in eos bellum Catholicis indixit,  
& Cruce signatos multis præmiis a-  
nimavit. Hi DEI, Virginisque Ma-  
tris auspiciis freti feruntur in Hæ-  
reticos, & 17 eorum millibus uno  
in loco cæsis, Biteras cœpere. Bzo-  
vius tom. 2. Ave DEI, & hominum  
Mediatrix optima, ave totius terra-  
rum

rum Orbis consolatrix efficacissima  
MARIA. S. Bern. S. Maria, &c.


Pag. 202.

31. Nihil satis sacrum est impiis.  
Anglo Pyratæ cuidam , homini la-  
trociniis assueto, in animo fuit, tor-  
mentis omne cum templo Cœnobi-  
um diruere, ubi Legione in Hispania  
miraculis clara Virgo colitur. At  
verò contrà, quām ipse voluit, acci-  
dit, priùs enim accensō pyriō pulve-  
re cum navi sua suīsque omnibus,  
utrique elemento traditus à Regina  
Cœli fuit diripiendus , quām pri-  
mam è machina pilam evibraret.  
*Gumpenberg. in Atl. Mar. im. 51.* In  
manibus DEIparæ Virginis vita, &  
spes nostra consistit. S. Bern.

Sancta Maria, &c.

Pag. 202.





# VICTORIÆ MARIANÆ, MISCELLANEÆ.

## NOVEMBER.

1. **M**ira fiduciæ in MARIAM argumenta edebat Arthus Brito Angliæ Rex, qui licet exquisitissimam belli panopliam contra omnigena hostium tela haberet opportunam, clypeum tamen armorum suorum & charissimum habebat, & securissimum credebat, ut poterat cui imago DEI paræ insculpta hostibus omnibus reddere formidabilem, quam in summis pugnæ discriminibus, mediisque præliorum æstu intueri solitus ab ea vires, animosque hauriebat, & quidem adeò efficaces, ut in obsidione Badonici mon-

montis, hoc armatus clypeo non-gentos hostium solus adorsus incredibili cæde Anno 489. profligaverit. *Withelm. Malmes. lib. I. de Reg. Angliae cap. I.* Non solum Mater Christi est MARIA, sed & Mater omnium fidelium universalis.

S. MARIA (a) tu fuisti funda cum lapide, quæ Goliath percussit validè, & nunc Mater exorans fervidè, hostem fuga & pacem provide. Pia Mater respice filios, inter hostes pugnantes impios: irruentes repelle gladios, & Sanctorum fac esse socios, ô MARIA.

Nota: *Hæc clausula repetitur quotidie hoc Mense.*

2. Obsederant florentissimam Galliæ Metropolim Parisios Normanni Anno salutis 887. jam mutorum magnâ parte dirutâ hostium incursioni patebat Urbs, nisi Beatissimæ DEI Genitricis præsidiō munita,

ho-

(a) *Hugo Carthus.*

hostium furori restitisset, gaudebat tunc civitas hæc, sed olim à Regibus suis DEI paræ patrocinio fuisse commendatam, utpote cuius manum tam opportunè Auxiliatricem experta est. *Spondanus ad hunc Ann.*  
*An inaniter vocat te omnis Ecclesia Sanctorum, Advocatam suam, & miserorum refugium? Gui-*  
*liel. Paris. in Rhet. Div. S. Maria, &c.*  
*Pag. 227.*

3. Memorandum patrocinii Mariani exemplum in Arnulpho Flandriæ Duce prodiderunt Historici, qui insignem adeò invocatione Virginis contra Nortmannos prope Lovanium victoriam retulit, ut eorum 100000. imperfectis, nullo suorum lethaliter vulnerato triumphaverit. Tanto Mariani favoris affectu præventus, ad grates opitulatrici reddendas suos adhortatus, in ipsa certaminis area Litanias B. V. ab omnibus dici voluit, quibus ipse primus

primus exemplô præluxit. *Miræus in Chron. Fland.* Certè cùm te Domina aspicio, nihil nisi misericordiam cerno. *S. Bonav. instim. am. p. 3. c. 19.* S. Maria, &c. Pag. 227.

4. Divus Stephanus primus Ungariæ Rex bello à Conrado Imperatore impetus, ita B. V. allocutus fertur: *Si placet tibi ô Domina mundi, suæ partem hereditatis devastari, & novellam Christianismi plantationem dissipari, ne quæso finas imputari illud diffiden- tia mea, sed potius dispositioni voluntatis suæ.* Quibus id obtinuit, ut die postero, Cæsare rerum ignaro, ad singulos copiarum Duces nuncius venerit, mandatum à Conrado ferens, quo pedem ab Ungaria referre jubebantur, Anno 1030. *Cartuit. in vita S. Steph.* Ad te clamamus Domina, vulnera sustinemus, plagas sentimus, quia inimicis undique circumdamur. *S. Bonav. Psal. 58.* S. Maria, &c. Pag. 227.

5. Raymundus Barri Comes cum pluribus in Virdunensis Civitatis perniciem conjuraverat, consiliis in ejus expugnationem & ruinam directis, quæ dum ad finem deducere parat, insolitis quibusdam prodigiis, super Templi Virdunensis Beatæ Virginis dicati, fastigio comparentibus, deterritus, ab incepto revocatus Urbem inquietare destitit. Ita Urbs Virginis auxiliō ab obsidione immunis conservata Anno 1131. *Poiræus in tripl. Cor. tr. 1. cap. 12. §. 5. n. 57.* Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe. S. Maria, &c. Pag. 227.

6. Godefrido II. Brabantiae Duke è vivis sublato, filius ejusdem nominis tertius in paterna ditione successit Anno 1144. cuius tenera adhuc & vagiens ætas Baroni Grimbergensi occasio fuit ditiones quaque invadendi. Parvuli Ducis Tutores, ut Brabantinos ad prælium for-

fortiter gerendum animarent, Duce-  
m in cunis ad castra latum ante  
oculos exercitūs constituerunt, &  
ējus locō B. V. quæ aciem duceret,  
invocârunt, cuius favore ex parte  
Ducis victoria stetit, in cuius me-  
moriam solemnis quot annis suppli-  
catio ad ædem DEIparæ est institu-  
ta. *Lipsius in Lovan. Aug.* Quia mi-  
sericordiam Virgo genuisti, misere-  
rendi est officium tibi commissum.  
*S. Bonav. in stim. am. p. 3. cap. 19.* S.  
*Maria, &c. Pag. 227.*

7. Innumerâ Granatensem ma-  
nu animatus Rex Hispalensis Al-  
phonsum hujus nominis primum  
Lusitaniæ Regem impetere ausus  
erat Anno 1165. Nec impunè hanc  
Alphonsus tulit audaciam, sed con-  
tra eum cœli confisus auxiliô ita  
pugnavit, ut etiam triumpharet. In  
cuius victoriæ monumentum ma-  
gnificum Alcotarense Cœnobium  
erexit, ut in eo DEI Matris laudes,  
cuius

cujus beneficiō se viciſſe libenter  
fatebatur, perpetuis temporibus ca-  
nerentur. *Vasconcel. in Reg. Lusit.*  
Gloriosæ hujus Virginis auspiciis,  
& gratiis muniuntur tanquam tu-  
tissimis clypeis omnes. *Ægid. Co-*  
*lumna de salut. Ang. S. Maria, &c.*  
*Pag. 227.*

8. Faustus ac ad votum fortuna-  
tus Gallis extitit belli Anno 1213.  
gesti eventus, quem Philippi Augu-  
sti, Adeodati dicti Regis ductu, sed  
re ipsâ invocatione Virginis freti,  
contra Anglos, Belgas, & plures  
confœderatorum turmas glorioſe  
ſunt consecuti. Néve ulla tantam  
corum gloriam obliteraret oblivio,  
Rex non procul Sylvanecto cele-  
brem, sub MARIÆ de Victoria no-  
mine, Abbatiam fundavit. *Courtier*  
*negot. facul.* Succurre Virgo, ne di-  
cant hostes, ubi eſt corum Domina,  
de cuius clementia confidebant.

S. Bonav. *Psal.* 54. S. Maria, &c.  
Pag. 227.

9. Tullum civitas ad Mosellam sita, clanculariis hostium insidiis Urbi imminentibus, manifesto libertatis periculo fuerat exposita 1284. nisi ope DEIparæ evasisset. Nam in Principe Urbis templo, dum mulier quædam devotioni suæ vacatura, coram imagine Virginis ferventiùs orat, insidiarum Senatui detegendarum est admonita. Néve mulicris hujus nuncio fides negatur, dextrum Virginis statua pedem exporrexit in testimonium, qui statim argenteus factus, statuæ illi nomen dedit: *Nostræ Dominae de pede argenteo.* *Poiræus tripl. cor. tr. 1. cap. 12. §. 5. n. 57.* Firmo pede stat felicitas, quæ MARIÆ innititur.  
S. Maria, &c. Pag. 227.

10. Amantissimus Mariani honos Zelator vixit 1292. Serenissimus Jo-

Joannes Lotharingiæ, Brabantiaæ, & Limburgi Dux, qui uberes devotionis, & filialis erga Virginem amoris expertus est fructus, dum prædones regionem illam Belgii, quæ Wenningiam respicit, infestissimè divexantes, compesciturus, inter tot vitæ pericula, Patronæ suæ munitus patrociniô illæsus permanxit, & nebulones illos Regno procul exegit. *Lipsius in Lovan. lib. 2. cap. 9.* MARIA naturaliter clemens, & misericors est, & ejus pietas semper accipit incrementum. *Rich. à S. Laur. lib. 4. de Laud. B. V.* S. Maria, &c. Pag. 227.

II. Extat Parisiis in Cathedrali Urbis Ecclesia Philippi Valesii Francorum Regis lapidi incisa imago, ejus gesti monumentum, quod Anno Christi 1328. post partam contra Belgas victoriam redux, priusquam paratos in aula aggratulantium plausus exciperet, Ecclesiam hanc

hanc supplex adierit, & concessam  
sibi è Cœlo victoriam agnoscens,  
Divæ Virgini equum, & arma, qui-  
bus ea in expeditione usus fuerat,  
dedicaverit. *Spondanus hoc anno n.*  
*23. Tu, ô MARIA! es gemituum*  
*nostrorum cessatio, calamitatum,*  
*nostrarum restauratio, & dolorum*  
*relevatio. S. Germ. serm. de Praef. S.*  
*Maria, &c. Pag. 227.*

12. Insigni contra Castellanos  
victoriâ potitus est Joannes primus  
Lusitaniæ Rex 1385. dum non so-  
lùm magnus hostium numerus ab  
inferioribus longè numero Lusita-  
nis confusus est, sed Rex ipse Castel-  
læ salutem fugâ quæsiturus, con-  
scenso equo, continuato totam per  
noctem cursu Scabalim se recipere  
est coactus. Creditur voto ad B. V.  
facto Rex Joannes hanc obtinuisse  
victoriam, ad cuius templum à scalis  
dictum, vexilla Castellanis erepta  
misit, & annuâ supplicatione grates  
reno-

renovari præcepit. *Vasconcel.* in *descrip. Lusit.* p. 537. Ut non noceat mihi calliditas inimici , sub unib<sup>a</sup> alarum tuarum me Virgo sacra protege. *S. Bonav.* in *Psal. Virg.* *S. Maria,* &c. *Pag. 227.*

13. Fortiora Cœli quàm hominum sunt auxilia: cum hostibus ad Albigerotam congressurus Joannes primus Lusitaniæ Rex , neglectis confœdetatorum Principum suppeditiis , solas à DEIpara expetiit , quibus feliciter hostem ad debitam submissionem compulit. Rex pius ex victoriæ spoliis Odæum B. V. de *Oliva* dictum regiâ prorsus munificentiâ condidit cui locupletando tantum argenti addidit , quantum ipse cataphractus , & omni armorum genere gravis ponderavit , hastam insuper suam pia cum submissione in eodem affixit. *Vasconcel.* de *Reg. Portug.* Velociùs succurrit MARIÆ pictas , quàm invocetur , & causas mise-

miserorum anticipat. Rich. à S. Laur.  
lib. 4. de Laud. B. V. S. Maria, &c.  
Pag. 227.

14. Anglis Aureliam obsidentibus 1428. non exiguo metu Carolus VII. Franciæ Rex premebatur, cùm exiguâ suorum manu eorum occurrere potentiae non satis tutum esse judicabat. Adfuit afflictum Urbis statum miserata misericordiæ Mater, & Joannam Aurelianensem Virginem Darciam vulgo dictam (fortè hæc pro Urbis incolumitate precabatur) ad Regem, B. V. ex icoна locuta delegat, ut Regem ad ineundum cum Anglis prælium horretur. Nec diu de rei veritate dubitavit Carolus, verùm acceptō vexillō, in quo Annunciatæ Virginis imago videbatur ; in Anglos pergit, & vix visos in fugam conjicit.

Poiræus tripl. cor. tr. 3. cap. 9. §. n. 4. Speciosa misericordia ejus in tempore tribulationis, sicut nubes plu-

viæ in tempore siccitatis. *Eccles. 36.*  
S. Maria, &c. *Pag. 227.*

15. Nunquam diu sine æmulo  
constant regna, aut imperia. 1445.  
iterum Angli, Carolum VII. Regem  
Franciæ in arma cogentes, adsunt.  
Nortmanniam invadunt: nec ter-  
ritus hostium ausibus Rex, ad foli-  
tum in rebus adversis asylum, id  
est ad B. V. confugit pro consilio,  
& Regnum ab hostibus prosperè vin-  
dicat: in beneficii accepti memo-  
riam nobile Cœlestinorum Cœno-  
bium Rothomagi exstruit, ut cùm  
æquas Opitulatrici suæ grates re-  
ferre desperat, perpetuæ à Religio-  
fis Cœnobii inquilinis Virgini lau-  
des enarentur. *Gononus in Chron.*  
*B. Virg.* Surge, adjuva nos Domina,  
clamamus ad te, & nostram manife-  
stamus necessitatem. *S. Bonav. Psal.*  
54. S. Maria, &c. *Pag. 227.*

16. In paucis memoranda venit  
illa Carentum inter & Bajocas facta

Anglo-

Anglorum cœdes, in qua An. 1450.  
complura Anglorum Gallos provo-  
cantium millia interempta sunt,  
non nisi quatuor gregariis è Gallo-  
rum parte desideratis. Agnovit  
specialem DEIparæ favorem Guili-  
elmus Cortesius Parisiensis Episco-  
pus, & supplicationem ad ædes B.  
V. instituit, in qua 12. puerorum  
millia, singuli facem manu præfe-  
rentes, Virgini grates canebant:  
*Spondanus hoc Anno n. 7.* Absit à  
Matre DEI, quæ fontem pietatis  
toti mundo peperit, ut cuiquam  
miserorum subventionem unquam  
deneget. *Guil. Paris. lib. 7. S. Ma-  
ria, &c. Pag. 227.*

17. Ferventior plerumque in ar-  
to est pietas. Divio Urbs Burgun-  
diæ, obsidione, quam ab Helvetio-  
rum exercitu in perniciem Urbis  
conjurato patiebatur, non priùs li-  
berata est, quàm imaginem Sanctissimæ  
DEI Matris Bonæ spei dictam,

magnâ Civium supplicantium processione per Urbem circumtulissent. Néve beneficii accepti memoria, aut Virginis cultus aliquando evanesceret, supplicationem hanc annuâ pietate renovare cives decreverunt. *Spondan. ad annum 1513.* Miserere mei Domina, quoniam conculcaverunt me hostes mei. *S. Bonaven. in Psalm. B. Virg. Psal. 15. S. Maria, &c.* *Pag. 227.*

18. Italiam petens, Mediolanum armis subacturus Franciscus primus Galliarum Rex, infenos per iter expertus est Helvetios, cum quibus acerrimo ad Sandonatum prælio conflixit, & victoriam admodum difficilem principiò, faciliorem Deiparæ fecit invocatio; quod & ipse abundè testatus est, dum eodem in loco ædem B. Virgini, velut victrici Bellonæ trophæum, erexit, sub nomine *MARIÆ de victoria* *Spond. n. 7.* *ad an. 1515.* Sicut pulli volitanti- bus

bus desuper milvis ad gallinæ alas  
accurrunt, ita & nos sub velamento  
alarum tuarum abscondimus. *San-  
ctus Thom. à Vill. nov. con. 3. in Nativ.  
B. V. S. Maria, &c. Pag. 227.*

19. Mortuô Theodosiô Arcadi-  
us, & Honorius hæredes Regni pos-  
sessionem apprehenderunt, domini-  
um horum ferre abnuente Gildone,  
nisi ferrô cogeretur. Itaque Masce-  
zil Dux, à fratribus, contra rebellem  
expeditur, qui pietate, quâ in B. V.  
erat singularis, gloriosam, quia in-  
cruentam sine ulla cæde victoriam  
referre meruit. Dum enim uterque  
in arma expeditus staret exercitus,  
unicus è rebellium parte signifer  
in brachio læsus vexillum inclinare  
coactus, eam in hostium castris mu-  
tationem fecit, ut omnes abjectis  
armis, se subdiderint, rati per vexilli  
inclinationem à Gildone homagi-  
um præstari. *Tamajus p. 1. de Trium.  
Cui hæc servata victoria, nisi MA-*

RIÆ? S. Bern. serm. 1. super miss. S. Maria, &c. Pag. 227.

20. Alphonsus quidam Dynasta, pietate nobis, quàm genere notior, ob laudabilem Psalterii Mariani recitationem, id à sanctissima Virgine, visibiliter clienti suo comparente, retulit præmium, ut se ei Virgo semper in præliis ad futuram promitteret, quod & eventu expertus est Alphonsus. Quare majori in DEI-param affectu inflamatus, sacro-sanctum fecit propositum, diem nullum transigendi, quo non Psalterium Virginis orando absolveret.  
*Alanus de rupe p. 5. c. 58.* Citò citò Domina subvenias clamanti, ne in manibus peream inimici. S. Bonav. in *Psalt. B. Virg. Psal. 54.* S. Maria, &c. Pag. 227.

21. Fonsarabiam Urbem Condæus obsederat, jámque eò indefesso labore fortunam suam evexerat, ut de Urbe capienda planè nihil diffi-

diffideret. Nec obsessi, quod sperarent, auxilium habuere. Una in mentem, afflictis solatum, MARIA venit, cuius dum gloriosa Nativitas proximè celebranda immineret, in eam cives omnes liberationis suæ spem conjiciunt, & precibus fatigant. Nec spes fefellit, nam ipso natæ Virginis die, nata illis felicitas est, cum exercitus Hispanus Urbi succurrens hostes procul Urbe removit. *Nier. in troph. Mar. lib. 2. cap. 85.* Quid ad MARIAM accedere trepidat humana fragilitas? *S. Bern. Serm. super miss. Sancta Maria, &c. Pag. 227.*

22. Gallus magnis instructus copiis grassari meditabatur in Bavaria 1643. ingentes Ducatui strages illaturus, nisi foederatis auctus cohortibus Dux Lotharingiæ conatus obviasset. Dubia in partem utramque alea timebatur, in suas tamen partes flexit victoriam Lotharingus,

quia DEIparæ imploravit auxilium.  
Hæc pii clientis precum munifica  
Remuneratrix ita armis ejus bene-  
dixit, ut ipso Immaculatæ concepti-  
onis die Gallos profigaverit, & iis-  
dem Rosawellam eripuerit. *Nier. in*  
*troph. Mar. lib. 2.* Sicut MARIA a-  
pud DEUM Sanctis omnibus est po-  
tentior, ita pro nobis apud DEUM  
ferventiùs intercedit. *Bernard. Bust.*  
*S. Maria, &c. Pag. 227.*

23. Insolenti oppugnationis a-  
cerrimæ labore pressa affligebatur.  
Iterda 1646. jam jámque Gallorum  
subitura manus periclitabatur. In-  
terea Hispani Dux exercitûs Mar-  
chio Leganensis factis ad DEIpa-  
ram votis animosior, conatus tan-  
tos novis eludere conatibus, & ob-  
sidionem solvere laboravit, & qui-  
dem efficaciter; ut tamen cui glo-  
ria tribuenda esset, recordaretur,  
ipso Præsentatæ in Templo Virgi-  
nis festo hæc Duci gloria, & Iterdæ  
feli-

felicitas accidit : quare & hæc , & ille , supplices MARIÆ grates dixeré. *Ibidem.* Cunctis ex corde rogantibus se MARIA munimen præsentis vitæ tribuit , & futuræ. *S. Amad. hom. 7. de B.V. S. Maria, &c.* *Pag. 227.*

24. Bomelia ab hostibus obsessa, sed pejus à fame inter obsessos gransante afflita , quem malorum extum soltitura esset , dubitabat ; accedebant ad infelicitatis cumulum summæ aquarum eluviones. Imminebat Immaculatæ Conceptionis MARIÆ dies celebranda , ad hanc illi toto affectu confugientes opem petebant , & nocte illâ tantum frigus irruit , ut congelatis circum aquis omnibus , obfitionem hostis solvere , nî pejora vellet experiri , sit coactus : in cuius memoriam hic primùm loci Ordo Militaris sub nomine Conceptionis Immaculatæ sumpfit exordium. *Famian. Strada.*

Non solum in te peccant Domina,  
qui tibi injuriam irrogant, sed eti-  
am qui te non rogant. S. Bonav.  
S. Maria, &c. Pag. 227.

25. Jaetet suas fabulosa antiqui-  
tas ægides, quibus eum Gorgon-  
terrorem indiderit, ut vel inspicere  
ausi, lapidescerent. Fortunatiore  
Primislaus Daniæ Rex clypeo ute-  
batur, cui DEI parentis Sanctissimæ  
imago incisa, cum hostibus terro-  
rem incutiebat, ut coram eo vel ca-  
dere regiis armis prostrati, vel fuge-  
re cogerentur. Baron. tom. 3. annal.  
Eccl. ad An. 1290. Ad omnem tri-  
bulationem, & quamcunque necef-  
sitatem aperta est nobis Urbs refu-  
gii, sinus Matris. S. Bernard. Serm. 8.  
Qui habitat. Sancta Maria, &c.  
Pag. 227.

26. Memorando prælio Conra-  
dinum Suecorum Ducem fudit Ca-  
rolus Andegavensis S. Ludovici  
Galliæ Regis frater 1268. qui prius-  
quam

quām inimici vires tentaret, cessit;  
 & Rex voti reus, ut eo cumulatiūs  
 staret, duo Sanctissimæ DEI Matris  
 honoribus servitura templa ædifica-  
 vit. *Idem tom. 13. annal. Eccles.* Ad-  
 est nobis de cœlo gloriosissima Vir-  
 go, & potentissima propellit omne  
 quod nocivum est, & confert omne  
 quod bonum est. *Amand. hom. de*  
*B. V. S. Maria, &c. Pag. 227.*

27. Cum annua D. Virginis à Vi-  
 CTORIA festivitate redit quoque an-  
 nua beneficii Mariani recordatio  
 Bruxellensibus, quod tum à Matre  
 DEI acceperunt, quando 1288. Jo-  
 anni primo Brabantiae Ducι contra  
 Rainaldum Geldriæ comitem dupli-  
 cem est impertita victoriam, dum  
 eādem belli expeditione & hostilis  
 fusus est exercitus, & Weringa fa-  
 cili labore expugnata. *Molen. in hist.*  
*Brab. c. 63.* Glorifica manum tuam  
 & dexteram Omnipotens Virgo, ut  
 prosternantur à nobis inimici nostri.

S. Bonav. in *Psalt. B. Virg.* S. Maria, &c. *Pag. 227.*

28. Beata Civitas Messina in Sicilia, quæ pia Religione literas DEI Genitricis manu exaratas habet; quibus se perpetuam urbis Messinensis protectricem futuram promittebat: & verò experta cumulatè promissa fuit, quando Messinensium res domi, forisque steterunt integræ, ipsa Urbe vel in sexcentis vicis studinibus caput semper attolente, ut quæ antiquitate præ cæteris Europæ urbibus præstaret, nec in MARIAE favore & affectu ulli cederet.

*Gumpenb. imag. 63.* MARIA misericordissimos oculos, quibus Cœlum illustratur, ad nos convertens communem pro Clero, populo, & utroque sexu ad Filium levat orationem.

S. Amad. *hom. 7.* Sancta Maria, &c. *Pag. 227.*

29. Avilæ in Hispania, sculpta MARIAE JESULUM brachio gestan-


stantis statua à Sole nomen obtinuit ; utpote quæ nulli benignos gratiarum suarum radios negare soleat, illud admirandi affectus in Hispanos præbet argumentum, ut quoties graviore alicubi res Hispanæ periculo expositæ fluctuant, toties in ago hæc suam Avilæ stationem deferere , & veluti negotio magis necessario evocata ad res Hispanas curandas abire consuevit ; id quod binis accidisse vicibus Avilani testantur : in receptione nempe civitatis Barcinonæ, & cum Fonteratia obsidione erat liberanda. *Ex Archiv. Eccl. Avil. imag. 181.* Sub tuo regimine ô Domina volo de cætero militare. *S. Bern. S. Maria, &c. Pag.*


227.

30. Centum quinquaginta Gallorum bello exercitatorum millia eam Anglorum paucitatem cinixerant, ut horum numerum sextuplò excederent. Triumphum itaque

ante victoriam Galli cecinere, Nun-  
cios per celebriores orbis civitates  
expedivere , ut eas in applausum  
excitarent , quin & Angliæ Regi  
Henrico quinto insultantes, quanti  
se redimere vellet , exquirebant.  
Tantâ hostium arrogantiâ nîl com-  
motus Angliæ Rex, in Cœlo confi-  
sus, indictis per castra precibus ico-  
nem DEIparæ in Belli-ducem eligit,  
quâ propugnatrice ingentem illam  
Gallorum multitudinem paucorum  
robore confusam victor dissipavit.  
*P. Antonius Balinghem in Kal. Domi-*  
*na in nomine tuo salvum me fac.*  
*S. Bonav. Psal. 53. S. Maria, &c.*

Pag. 227.





## DECEMBER.

1. **L**UDOVICUS MALLEANUS FLANDRIÆ Comes rebellem sibi expertus est Philippum ab Alterelda, nullis pariturum imperiis, nisi ferrô congeretur. Cùm utriusque litem ferro urgeret exercitus, Ludovici inclinare acies videbatur, indubie superanda, nisi Dux per castra circumvolitans, & MARIAE patrocinium identidem ingeminans militibus animos addidisset, ita variante vicem fortunâ cœsis 40. millibus rebellium suas in partes victoriam attraxit. Anno 1582. *Robertus Gagvinus lib. 9.* Salve virgo gladie utrinque acute, hostis nostri caput abscindens. *Græca Ecclesia in Menais.*

S. Maria adversùs omne genus hostium certissimum præsidium, succurre miseris, juva pusillanimes, refove

fove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: Tuum omnes sentiant juvamen etiam in bello, qui cunque te piè invocant, tuámque sanctam celebrant commemoracionem; ut superatis ope tuâ cunctis hostibus in terris te suam Auxiliaricem glorificant æternum in cœlis.

Nota: *Hæc clausula repetitur quotidie hoc mense.*

2. Tornacum à Flandris obsesum Anno 1477. speciali Virginis favore furori hostium est exemptum: cæsi quippe Flandri, triginta tormentis prædæ Tornacensium relictis, salutem in pedibus quæsiverunt. Tota militum cohors retam prosperè gestâ exhilarata, grates Divæ Virgini dictura, ad templum properat, & omnes adhuc armati coram ea se gratos fistunt, eidemque præter præcipuum Flandri ci exer-

ci exercitūs labarum , alia 17. vexilla hostium manibus extorta deferrunt. *Joan. cognatus lib. 4. Hist. Tornac.* Omnes adversarios nostros solo nutu tuo ad nihilum redige Domina. *S. Joan. Damasc. S. Maria, &c.* *Pag. 251.*

3. Vladislaus II. Rex Poloniæ religionis Zelator ferventissimus , & DEIparæ, post Filium ejus , cultor eximius, ad Gutnewaldam pagum in Prussia, feliciter de militibus Teutonicis triumphavit , postquam ante prælium se , suūmque exercitum impensiùs MARIÆ commendâisset , & hymno in ejus honorem in castris decantato, secuturis plausibus prælusissent. *Nieremb. in troph. Mar. lib. 3. cap. 57.* Contra hostes gravi nos bello prementes in aciem quæso descende ô Virgo. *S. Joan. Damasc. S. Maria, &c. Pag. 251.*

4. Ad Germaniam ambiguis bellorum tumultibus diu conflictatam  
armis

armis suis componendam evocatus  
gloriosæ memoriæ Uladislaus IV.  
Rex Poloniæ ut felicem expeditio-  
nis hujus exitum fortiretur, prima  
eius fundamenta posuit in monti-  
bus sanctis; priusquam enim regno  
egrederetur ad Claramontanam.  
DEIparæ imaginem invisendam di-  
vertit, ubi pane fortium refectus, si-  
mul vires ad hostes debellandos  
hausit. Anno 1624. *Ibidem.* Sub  
tuam protectionem fugiendo repel-  
limus universas insultantium nobis  
adversariorum procellas. *S. Sabbas*  
*in Menæis.* *S. Maria, &c.* Pag. 251.

5. Aulica perfidia inter Salomo-  
nem, Geyzam, & S. Ladislaum pa-  
trueles ea fomenta discordiæ ob re-  
gnum gubernandum accenderat,  
ut non nisi prælio lis posset termi-  
nari; ad quod dum congregati Va-  
ciensi in campo comparuissent, Gey-  
za positis humi genibus templum  
se B. V. positurum vovet, si victoriâ

potiretur ; potitus est , & ut voto  
cumulatiū satisfaceret , in Regem  
Ungariæ coronatus ædem DElpa-  
ræ Vacii, in loco, quem cervus cor-  
nibus radiantibus comparens desi-  
gnavit, posuit , & aliam eidem Bu-  
dæ, tertiamque Divo Petro in pu-  
gnæ loco construxit. *Joan. Tomcus  
in vita S. Ladislai.* Qui invocat MA-  
RIAM, consequetur gratiam. *San-  
ctus Ambrosius.* S. Maria, &c. Pag.

251.

6. Robertus Galliarum Rex, suæ  
in MARIAM pietatis specimen edi-  
turus, Ordinem Equitum Dominæ  
*de stella* dictum fundavit, qui in tor-  
que aureo stellam 5. radiis, totidem  
sanctissimi M A R I Æ nominis lite-  
ris, coruscam gestarent. Recepit  
locuples pietatis suæ præmium dum  
enim Arabonem obsidione cinxisset,  
Urbis hujus muri, non secus ac in  
Jericho olim factum legimus , cor-  
ruentes aditum Regi ad Urbem oc-  
cupan-

cupandam præbuerunt. *Helgrad.*  
*Floriac. in vita Robert.* Sicut ignis  
 attractu cera liquefcit, & velut ardo-  
 re solis refluit glacies, sic à Virginis  
 facie inimicorum deperit acies, eá-  
 que jubente nihil adversi subsistit.  
*S. Amadeus Lauzanensis Episc. Hom. 8.*  
*de Laud. B. Virg.* Sancta Maria, &c.

Pag. 251.

7. Adeò firmam in DEIpara fi-  
 duciam reponebat Georgius Palæo-  
 logus , ut templum Virginis arce  
 quâvis munitius, tutiúsque ad ho-  
 stes eludendos judicaverit ; repen-  
 tino quippe hostium tumultui ob-  
 viaturus ipse dñm uxorem vellet in  
 tuto collocatam , eam alii ad arcem  
 quandam munitionis prærogativâ  
 principem mittendam suadebant,  
 ille ad sanctissimæ Virginis ædem in  
 Blachernis sitam depositus , securam  
 fore ratus , si eam MARIÆ com-  
 mendaret. *Alexias lib. 2.* Hæc Vir-  
 go Amazonum optimum se Duce  
 præ-

præbet MARIA. Petr. Canisius S. J.  
S. Maria, &c. Pag. 251.

8. Singularis B. V. affectus Augustorito Pictonum oppido exhibitus tum maximè eluxit, dum nebullo quidam Toparchæ familiaris se clam Urbis claves subrepturum, portasque Anglis reseraturum spoponderat ; certò facturus , nisi furem D. Virgo prævenisset, ac destinato è loco claves ablatas Toparchæ, de insidiis monito, detulisset. Jam hora hostibus destinata aderat , qui cùm se spe suâ deceptos vident, non sine mutua diffugientium cæde recesserunt. *In Annal. Aquit. p. 2. c. 6.*  
Si persequatur inimicus animam meam, Domina adjutoriō tuō conforter, ne vibret gladium suum contra me. *S. Bonav. Psal. 7.* S. Maria, &c. Pag. 251.

9. Profuit innata Austriacis Principibus erga Immaculatæ Conceptionis mysterium pietas Joanni Austria-

striaco, hæc siquidem illi dies Santonam pridem armis obfessam aperuit, de qua jam propè desperaverat; nec immeritò, die siquidem posterâ tam copiosa nix campos texit, ut vel obsidionem solvere, vel militem perdere coactus fuisset. Nieremberg. lib. 2. troph. Marian. Hæc Virgo M A R I A virtutis virga est, contra inimicos, quibus magnâ virtute dominatur. S. Bonav. Psal. 109. S. Maria, &c. Pag. 251.

10. Acrem contra Mauritium Orientis Imperatorem populus seditionem conflaverat, jam cum maledictis laceratum lapidibus infectabatur, ubi reperiret, occidendum: de periculo capitis admonitus Imperator, rectâ ad ædem B. Virg. (quam de Blachernis, populus Byzantinus vocat) velut ad arcem tutissimam configuit, ibique sospes permanxit, donec sedatæ seditionis authores verberibus emendati, in

exilium acti , secum periculum ab-  
stulerunt. *Theophil. Simocata lib. 8.*  
*cap. 4.* Esto mihi Domina Turris  
fortitudinis à facie inimici. *Rich &*  
*S. Laur. lib. 2. de Laud. B. V.* S. Ma-  
ria, &c. *Pag. 251.*

II. Corruptus aurô Gubernato-  
ris servus Pictavum Anglis traditu-  
rus, claves Urbis in conclavi Heri,  
quibus Urbem panderet , frustrâ  
quærerit, tumultu excitus Guberna-  
tor, & quod res erat suspicatus, ad  
destinatum clavibus locum accur-  
rit, cùm nullas ibi inveniret, folli-  
citudine plenus, consiliisque inops  
ad ædem DEIparæ rectâ tendit, fle-  
bit, orat ; & ecce in Virginis ma-  
nibus depositas Urbis claves repe-  
rit, nec se præ gaudio satis capiens  
eas recipit , die posterâ intellecto  
Anglorum subintrare volentium ad-  
ventu, cumulatiūs Marianæ prote-  
ctionis favorem erga Pictavum præ-  
stitum agnovit. *Poirœus trip. eor. tr. 3.*

c. 7. §. 3. Nullum tuendæ civitati propugnaculum aptius novi, quām Virginis templum, ajebat Ferdinandus II. Cæsar. *Lamorm. in vita cap. 7. S. Maria, &c. Pag. 251.*

12. Andronici senioris nepos, itidem Andronicus nomine, anno 1332. Constantinopolim armorum jure occupavit, cūmque solito his in casibus furore milites grassarentur, de vitæ periculo certus ad imaginem DEIparæ in conclavi suo depositam fugit, coram ea supplex factus implorat auxilium, sed & impetrat: nam Andronicus Junior aulam ingressus, cùm avum coram Virginis imagine prostratum videt, ejus miseratus, vitam ei indulxit, quam ille conservatam plūs Virgini, quām victori debet in acceptis. *Gregoras lib. 9. Hist. Rom.* In quacunque necessitate fuerit homo, si Virginem toto corde invocaverit, liberabitur.

bitur. S. Brigitt. lib. 1. Revel. c. 21.  
S. Maria, &c. Pag. 251.

13. Atrebatum jam 15. annorum cursu Gallorum dominatum sustinuit, ne cdum excutiendum, nisi Grifardus Civis Atrebaten sis patriæ fortem miseratus, imploratâ Virgini sanctissimæ Hallensis dexterâ, illud recipere tentâisset. Audacem quippe non jam fortuna, sed MARIA juvit, & post levem conatum Urbs legitimo Principi restituta est  
 4. Nov. 1492. *Locrius in chron. Belg.*  
 Intueamini, quanto devotionis affectu à nobis eam voluit honorari Deus, qui totius boni plenitudinem posuit in MARIA. S. Bern. serm. de aqueductu. S. Maria, &c. Pag. 251.

14. Relatam sine ulla suorum cæde insignem victoriam Philippus Flandricus B. V. Hallensi se debere muneribus allatis est testatus anno

1443. accidit , ut dum uterque exercitus pugnæ signum expectaret , ignis in saccum pulveris tormentarii incidens periculum proximè adstantibus crearet , quo territus tormentariæ rei præfectus , altâ , quam terror auxerat , voce inclamat : fugite : auditâ voce proximi fugiunt , hi fugientes alios terrent , eâ castrorum confusione , ut laxatis fugæ habenis hostilis exercitus totus diffugerit , qua in fuga 16. milia hostium partim cæsa , partim obtrita victoriam geminârunt 23. Iulii. Meyerus in *Annal. Flandr.* O Domina ! sub alis tuis custodi me , & protege ; non mihi alia fiducia Virgo syncera. B. Ephrem. S. Maria, &c. Pag. 251.

15. In Constantinopolitanum folium per scelus evaserat Myrtillus , quem foliô dejecturus aciem ducebatur Balduinus Flandriæ Comes

Anno

Anno 1204. Ille veteri Constanti-  
nopolitanorum Cæsarum more B.  
Virginis imaginem pro suorum tu-  
tela in castra educit. Mirare Le-  
ctor: vix duo à fronte constiterunt  
exercitus, imago DEIparæ desertis  
impii Myrtilli castris, ad Balduini se  
partes confert, & cum ea victoria.  
Cæsus namque Myrtilus, & Con-  
stantinopoli intra 60. dies capta,  
Balduinus Imperator authoritate  
Innocentii III. creatus, gratus MA-  
RIÆ vixit. *Pancirol. p. 1. tit. 43. n. 4.*  
Fugiunt omnes, qui oderunt nos,  
à facie ejus, & ipsa in adjutorium  
nostrum exurgente dissipantur ini-  
mici. *Rich. lib. 2. S. Maria, &c.*  
*Pag. 251.*

16. Noctis caligine adjutus re-  
pentinè Stephanus Vaivoda exigu-  
as Ungarici militis copias invaserat,  
nec tamen imparatum Mathiam  
Corvinum Ungariæ Regem invenit;

hic quippe hostium circumventus  
agmine, flexis genibus Ungariæ Pa-  
tronæ Virginis subsidium dum im-  
plorat, pulsis illico nubibus clariùs  
micare Luna cœpit, cujus luce tene-  
briones illos videre, pellere, infe-  
qui, & cædere potuit. Spolia his  
erepta, ei, per quam victoriam ad-  
eptus est, Virgini attribuit, omnia  
templo B. V. Budensi donans. *Joan.*  
*de Tarocz in Chron. Hung. ad ann. 1464.*  
Ne dimittas eam, & custodiet te,  
dilige eam, & servabit te. *Prov. 4.*  
S. Maria, &c. *Pag. 251.*

17. Cum Messana Urbs à Rober-  
to Rege Neapolitano arctâ preme-  
retur obsidione, commeatûs inopiâ  
laborans extrema patiebatur. S. Al-  
bertus Ordinis S. MARIAE *de Monte*  
*Carmelo* civium misertus, supplex  
DEUM, per Virginis Matris merita,  
deprecatur, & en per ipsa hostium  
castra appulsæ triremes annonâ re-  
fertæ

fertæ civium solatæ sunt famem,  
quâ depulsâ faciliùs hosti, donec re-  
cederet, restiterunt. *Spinell. in exempl.*  
*B. V. n. 13.* Quis ô Domina spera-  
vit in te, & pudore est affectus? aut  
quis hominum fideliter omnipoten-  
tem tuam rogavit opem, & fuit un-  
quam derelictus. *Theoph. in deprec.*  
*ad B. Virg. S. Maria, &c. Pag. 251.*

18. Ferdinandus Gonzaga Man-  
tuæ Dux ferocem cursu exercebat  
equum anno 1530. quo vehemen-  
tiùs concitato effusus in clathros  
ferreos vicini templi, incolunis sur-  
rexit; in ipso quippe casu B. V.  
Lauretanæ Nomen inclamavit, &  
voti memor argenteam statuam  
equestrum Lauretum pro anathe-  
mate misit, ipse autem Virg. effigi-  
em argento expressam in omni vita  
è collo suspensam gestavit, & in præ-  
sentibus bellorum discriminibus  
præsentem sibi semper Virginis o-

pem est expertus. *Philipp. Riera in Annal. Lauret.* Laudes filete Virginis, quicunque duris casibus illius incassum fidem rogâsse meministis. *Jac. Pont. lib. 2. de B. V.* Sancta Maria, &c. *Pag. 251.*

19. Nunciatum fuerat Andronico seniori , pincernam quendam , quem contra Turcam se in Asiam infudentem, cum multo milite miserat, rebellâsse, & prope esse, ut à militibus, quibus præerat, Imperator acclamaretur. Vehementissimè consternatus spem omnem in sanctissima DEI Genitrice , & Servatore Christo collocat , & contra rebellem, aliam expedit legionem, à qua vietus pincerna, captus, oculos amisit. *Gregor. Baling. in Feb.* Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. *Psal. 109.* S. Maria, &c. *Pag. 251.*

20. Alphonsus Albuquerius  
 Emmanuclis Regis Lusitaniæ in India ad Orientem Prætor, impensâ Annunciatæ Virginis festivitatem devotione celebravit, quod eam faustam rebus præliisque suis sit expertus, ideoque DEIparæ sub titulo Virginis ab Angelo salutatæ templum ex hostium manubiis Malacæ erexit, cui & secundum Goæ superaddidit. *Maff. lib. 5. Hist. Ind. 25. Mar.* Miserere Domina servorum tuorum super quos invocatum est nomen tuum. *S. Bonav. Psal. 69. S. Maria, &c. Pag. 251.*

21. Infelicius Joannes Rex Galliæ cum Anglis dimicavit, nam inclinante acie hostium manus incurrit, pro quo captivo hostium manibus eriendo Parisienses ad DEIparam configerant, & si Regem salvum reciperent, cereum, ad altissimæ turris, quam Urbs haberet, quan-

titatem dimensum, qui diu noctu-  
que ante Virginis statuam arderet,  
vovent, votoque insuper supplica-  
tione ad ædem Virginis indictâ su-  
peraddunt. *Miss. Chron. 8. April.*  
*Anno 1360.* Pacem, & indulgenti-  
am Virgo nobis impetra, palmam de  
hostibus, & triumphum. S. Maria, &c.  
*Pag. 251.*

22. Hieronymus Macarulla in  
turmam prædonum inciderat, unus.  
que ferocior sclopum in Hierony-  
mum exonerat, glande per medium  
corpus transeunte, quo in discrimi-  
nis momento, DEIparæ se Montis.  
seratensi commendat, & enictus il-  
le, duplii licet glande prægnans,  
innocuus evanuit. Res prædones  
ipsos attonitos reddidit, nescio ta-  
men an meliores. *Baling. 14. April.*  
In ira flammæ tuæ mergantur in in-  
fernū, qui conturbant servos tu-  
os. *S. Bonav. Psal. 69. S. Maria, &c.*  
*Pag. 251.*

23. Philippus Bonus Burgundiæ & Brabantiae Dux, Flandriæ & Artesiæ Comes, qui 1674. 15. Junii vitâ functus est, B. V. Hallensi addictissimus, vixit, dona aurea, regiam etiam munificentiam adæquantia, identidem submittens inter quæ pedestrem unam, equestrem alteram militis effigiem argento fabrelabratam dedit, ut omnes viderent, se utramque militiam MARIÆ patrocinio commendâsse ; cuius favore factum, ut divulsas Belgii provincias suo imperio subjecerit. *Lipsius.* Clamate ad illam in periculis vestris, & flagellum non appropinquabit ad Tabernacula vestra. *S. Bonav. Psalm.* 90. S. Maria, &c. *Pag. 251.*

24. Post insignem navalem victoriam pridie S. Joannis Baptistæ Anno 1340. de Gallis inter Slusam & Blancobergam partam, in qua triginta Gallorum millia periisse

creduntur Eduardus Rex Rotenburgum, prope pugnæ locum ad honorem Virginis Matris supplicatum processit, ei à qua victoria hæc profluxit, debitas pro munere grates relaturus. *Meyerus 24. Junii.* O Virgo sanctissima, Regnum è terrenis quidem sumptum, sed ex superna gloria potentiam habens inexpugnabilem. *S. Andr. Cret. orat. 2. de Dorm. B. V.* Sancta Maria, &c. *Pag. 251.*

25. Albertus Austriacus Belgii Princeps variis B. V. Hallensem donis honoravit, illud memoriâ dignius, quòd antequam in Hispaniam proficisceretur, ad connubium cum Serenissima Isabella Philippi II. filia ineundum, priùs sacram purpuram Cardinalitiam ad Virginis Matris aram deposuit, & eâ positâ, gladiô se cinxit, ejus in posterū patrociñō pugnaturus. *Baling. 13. Julii.* O Virgo

Virgo omnibus superis exercitibus  
gloriosior, omnium Princeps, omni-  
um Dux ! *S. Ephrem. orat. ad Deip.*  
*S. Maria, &c. Pag. 251.*

26. Ob injurias à Theobaldo Co-  
mite Carnotensi acceptas , statue-  
rat Ludovicus cognomine Crassus  
Galliæ Rex Carnutensem Urbem  
ferro , flammâque vastatam incine-  
rate ; quod etiam fecisset , nisi ve-  
nienti obviam factus Urbis Episco-  
pus , B. V. MARIÆ indusium manu  
præferens occurrisset , ac per merita  
DEIparæ ne in immeritos iram su-  
am effunderet , deprecatus fuisset.  
Victus quippe Rex precibus , ne no-  
bile DEIparæ templum ignibus in-  
volveret , exercitum revocavit : in  
quo ex duobus , in Episcopo , an in  
Rege major in DEIparam affectus  
eluxit ? *Eugerus Abb. S. Dion. i. Au-*  
*gusti.* Omnes nos curæ , & prote-  
ctioni Virginis commendat Filius.

Tolet. in cap. 19. Joan. S. Maria, &c.  
Pag. 251.

27. Geyza Secundus vix in Regem Ungariæ electus, inimicitias Henrici Austriæ Ducis expertus fuit. Hic enim Posonium nullo indicto bello astu occupaverat. Rex armis injuriam vindicaturus, apud omnes aras quotidie per omnia sacerdotum Collegia Divinam opem implorari, ac imprimis D. Virginis peculiaris Ungariæ Patronæ auxilium exorari præcepit, sicque in bellum procedens, inter dimicandum omnipotentis DEI, ac Magnæ Matris opem invocat, Patronam suam ingeminat, & Duce Austriæ superato, Victor ad gratias D. Ungariæ Patronæ agendas redit. An. 1142. Bonfin. Dec. 2. lib. 6. Tu ô DEI Genitrix preces eorum ne despicias, qui semper petunt; seda bellorum fluctus, fac in auras evanescant eo

rum-

rum spiritus, qui nos injuriis lacef-  
sunt. *S. Greg. Nicom. orat. de Præf. B.  
Virg. S. Maria, &c. Pag. 251.*

28. Anno 1268. Carolus Siciliæ  
Rex de Frederico Austrio & Con-  
radino Sueviæ præclararam, DEI Ge-  
nitricis ope, die 22. Aug. refert vi-  
ctoriam, cùm priùs templum B. V.  
si victoriam consequeretur, se posi-  
turum vovisset; quod in loco, cui  
etiam *Victoriae* nomen est, ex candi-  
do lapide mirâ arte extruxit, mul-  
tisque castellis & prædiis ditavit.  
*Histor. Sicul. Fasell.* A resistentibus  
dexteræ tuæ S. MARIA custodi me,  
ut pupillam oculi. *Rich. à S. Laur.  
lib. 9. S. Maria, &c. Pag. 251.*

29. Anno 1346. Anglis Terua-  
nam Morinorum Urbem diripienti-  
bus, eidem furori & prædæ templum  
B. V. destinatum erat. Verùm cùm  
Anglorum unus jactu sagittæ coro-

nam imaginis DEIparæ, quæ sublimi spectabilis in pegmate eminebat, tentat dejicere, fractus arcus multos circumstantium sauciavit. Unde illi à scelesto opere desistentes, Ecclesiam illæsam reliquere i. Dom. Sept. Meyer. Super scutum potenteris, & super lanceam adversus inimicum tuum, pugnabit pro te. Eccl. 29. S. Maria, &c. Pag. 251.

30. Dux Corecius è magnorum Ducum Lithvaniæ genere oriundus, Anno 1617. barbarum Turcarum jugum captivus subiit, jam rigidis constrictus catenis, utroque sepultus carcere tenebatur, ab omnibus derelictus, præterquam quòd benignos in eum oculos Mater misericordiæ conjecerit, quæ veteris pietatis memor, eum vinculis exemptum pristinæ libertati restituit 24. Nov. Balingh. in Kal. Nisi quia Domina erat in nobis, invenissent nos peri-

pericula multa. S. Bonav. in Psalm.  
S. Maria, &c. Pag. 251.

31. Alexander Farnesius Parmæ  
& Placentiæ Dux, armorum gloriâ  
famosissimus, probè intelligens fau-  
stos rerum eventus à DEO pendere,  
Patronam sibi apud eum conabatur  
demererit B. V. Sæpe ad ejus ædem  
Hallensem ire, nec priùs ullam ex-  
peditionem suscipere, nisi votis, pre-  
cibúsque ritè ad ejus aram conce-  
ptis, consueverat; quâ pietate ma-  
gnam armis suis felicitatem contra  
hostes impetravit. *Baling. 3. Dec.*

In me omnis spes vitæ, & virtu-  
tis. *Eccl. 24. S. Maria, &c.*

Pag. 251.



CON-

# CONCLUSIO AD B. VIRGINEM, *in bello Patronam.*

Sub tuum præsidium confugimus,  
Sancta DEI Genitrix, nostras de-  
precationes ne despicias in necessi-  
tatis nostris, sed à periculis cun-  
ctis libera nos semper Virgo glori-  
osa, & benedicta Domina nostra,  
Mediatrix nostra, Advocata nostra,  
tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio  
nos commenda, tuo Filio nos repræ-  
senta.

V. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix,  
R. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

## ORATIO.

Protege Domine famulos tuos  
subsidiis pacis, & Beatæ MARIAE  
semper Virginis patrocinii confi-  
dentes, à cunctis hostibus nos redde  
securos.

Defende, quæsumus Domine, Be-  
atâ MARIA semper Virgine  
inter-

intercedente istam ab omni adver-  
sitate familiam , & toto corde tibi  
prostratam ab hostium propitius tu-  
ere clementer insidiis. Per Chri-  
stum Dominum nostrum,  
Amen.

O.A.M.D.G. & B.M.V.H.



